



## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Impedimentis Matrimonii, Usu Et Divortio

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1685**

Concl. III. Episcopus ordinariè non dispensat in impedimentis dirimentibus, nisi fortè in defectu pubertatis. Extraordinariè dispensat pro foro conscientiæ, quando impedimentum est occultum, & urget ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73448)

gitimamus Matrimonium & prolem, nonne licitum est in eo permanere, absque novo consensu? Minimè, inquis. Nunquid per hæc verba conceditur potestas perseverandi in eodem Matrimonio, habito novo consensu? Planè, reponis. Car ergò potius per hæc verba; quàm præcedentia, dispensat Pontifex in radice Matrimonij?

*Definitur.* Respondetur: quia hæc verba non petunt novum consensum, ita ut legitimatio valeat, tametsi parentes vel obierint, vel nolint de novo contrahere. At verò præcedentia verba exigunt novum consensum, sinè quo non possunt perseverare. Unde si conjuges obiissent, aut nolent perseverare, habito novo consensu, nulla foret legitimatio prolis.

*95. Quando cesset legitimatio prolis non secundo Matr.* Eo utique modo, quo cessat legitimatio prolis, non secuto Matrimonio, quando Pontifex dispensavit in impedimento, concedens licentiam contrahendi, & prolem legitimandi. Quia (inquit Sanchez sup. n. 15.) in favorem Matrimonij, inter parentes prolis ineundi, concessit Pontifex eam legitimationem, nullatenus aliàs concessurus. Nulla enim alia ratio, justam reddens hanc legitimationem, occurrit. Ergò illa legitimatio facta per Ordinarium, vel Confessorem, pendet à Matrimonio postea ineundo, & illo non inito, cessat, quasi cessante causâ. Hæc ille.

*An sufficiat ad dispensationem in radice, quod Papa legitimet Matr. & prolem.* Igitur dum Pontifex dispensat in Matrimonio irritò, concedens licentiam permanendi seu perseverandi in illo, idem est ac si concederet licentiam de novo contrahendi. At verò dum legitimat Matrimonium, & prolem, declarat, se habere illud pro legitimo à sui initio; auferendo pro tunc impedimentum, quod erat. Clariùs autem id diceret, si adderet particulam: *Ex tunc.*

Et sic Aliqui putant apud Sanchez sup. n. 27. nisi eam addat, non censi dispensatum in radice Matrimonij, quod hoc verbum: *Legitimamus*, possit referri ad legitimationem, ut ex nunc, & ut ex tunc, & non sit ratio cogens, ut censetur legitimatio prout ex tunc.

*96. Affirmat Sanchez.* Et reverà Sanchez sup. n. 28. quàmvis oppositum doceat; tamen non videtur adducere aliquam rationem cogentem. Imò admittit illa verba non sufficere: *Legitimamus Matrimonium*, quòd non sint aperta, & possint intelligi de legitimatione, ut ex nunc; & ided oportet legitimationis quoque prolis mentionem fieri, ut vel sic (inquit) jure optimo conjectetur, voluisse Pontificem, plenissimam in Matrimonij radice legitimationem facere.

At peto ego: cur etiam hæc verba: *Legitimamus Matrimonium, & prolem*, non possent intelligi de legitimatione, ut ex nunc? Expectabo responsum.

*97. Consonat Dicast.* Audio dicentem Dicastillonem sup. n. 46. Videtur eo ipso quòd explicat se dispensare cum prole, ut legitima fiat, dispensare etiam in eo, quòd requiritur ut plenè sit legitima; nam, ut omittam, quòd Beneficium Principis sit amplè interpretandum, quando res patitur; etiam ex alio capite mihi videtur, prædictam prolem legitimare plenè; scilicet dispensando cum prole, & habilitando parentes ad Matrimonium, censetur

Bosco de Matrim. Pars II.

ipsam prolem naturalizare, tollendo scilicet radicem spurcitatis, & constituendo illam in statu filii naturalis; ad id enim videtur se extendere dispensatio eo ipso, quòd cum prole vult dispensare. Semel autem naturalizata prole, non est necessarium recurrere ad dispensationem in radice Matrimonij; nam per solum Matrimonium subsequens legitima fiet. Sic ille.

Ego autem, ut omittam beneficium Principis non esse amplè interpretandum, quando est contra jus, & cedere potest in præjudicium tertii, dico: *Videtur mihi*, solvitur per, *Non videtur mihi*, & si ipse dicendo: *Videtur mihi*, satis probavit hanc doctrinam, alius dicendo: *Non videtur mihi*, sat eam reprobavit. Ostendere debet Dicastillo, Pontificem dispensando cum prole & habilitando parentes ad Matrimonium, hoc ipso eam prolem naturalizare.

*98. Utiatio.* Nec hoc tantum, sed etiam dispensationem illam, & habilitationem, necessario intelligendam esse, ut ex tunc, & non posse intelligi, ut ex nunc. Quippè si intelligatur ut ex nunc, liquet dispensationem esse in radice spurcitatis; nam hæc radix erat impedimentum, ut ex tunc, quando proles suscepta & nata fuit. Si ergò, dicit aliquis, non tollitur istud impedimentum prout ex tunc, sed tantum prout ex nunc, jam proles, tantum naturalizatur, ut ex nunc, & ita permanit spuria, & pro tali habenda est toto tempore, ante dispensationem.

Plura de hac controversia qui voluerit, poterit invenire apud Sanch. & Dicast. Disp. jam allegatis; hæc nobis sufficient pro aliquali cognitione, si non pro omnimoda penetratione, & plena satisfactione omnium difficultatum.

Sed nunquid quæ Pontificis, eadem est ratio Episcopi, ut & ipse possit dispensare in radice Matrimonij? Solutio patebit ex sequenti Conclusionem, quæ talis est.

### CONCLUSIO III.

Episcopus ordinariè non dispensat in impedimentis dirimentibus, nisi fortè in defectu pubertatis. Extraordinariè dispensat pro foro conscientia, quando impedimentum est occultum & urget gravis necessitas, neque Papa facile adiri potest, etiam ante Matrimonium contractum.

*99.* Clemens V. in Concilio Viennensi (8c. c. 2. de Elect. in 6.) ait: *Lex Superioris per inferiorem tolli non potest.* Atqui impedimenta dirimentia, quæ hodie extant, omnia sunt jure communi inducta, adeoque sunt leges Pontificia: ergò in ipsis nequit Episcopus dispensare ordinariè, ubi id ei specialiter à jure communi non conceditur.

Ppp

Signat

Oppugnatur ab Antiquo.

98

Utiatio

99. Inferior per se non dispensat in lege Superioris per cap. n. de Elect. in 6.

Siquidem Clemens. V. non tantum loquitur de abrogatione seu irritatione totius legis, sed etiam de quacumque partiali immutatione; imò expressè de dispensatione: nam sequitur: *Opinionem astruere ( sicut accepimus ) satagentem, quod constitutio felicitis record. Greg. Pape X. prædecessoris nostri circa electionem præfatam. edita in Concil. Lugdun. per cœtum Cardinalium Romanæ Ecclesiæ ( ipsâ vacante ) modificari possit, corrigi vel immutari, aut quidquam ei detrabi, sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam, seu aliquam ejus partem, aut eidem etiam renuntiari per eum, tanquam veritati non consonam, de Fratrum nostrorum consilio reprobamus, Scilicet, quia lex Superioris per inferiorem tolli non potest.*

100.  
Probatur ex  
rationibus.

Atque hæc est communis sententia fundata in natura rei, rectitudine scilicet gubernationis, quæ postulat subordinationem potestatum, retribente Greg. 9. Archiepis. Colocen. aliàs Colonien. cap. 6. de Majorit. & obed. Cùm inferior Superiorem solvere nequeat vel ligare; sed superior inferiorem liget regulariter & absolvat: & satis absolum videatur, ut filius potestatem habeat in parentem.

Et Episcopus in Pontificem, à quo immediate accipit omnem suam jurisdictionem: vel si à Deo, ut Aliqui volunt, non nisi cum subordinatione ad Papam, qui potest ipsum suâ jurisdictione privare, potest eam limitare &c. Iam autem, si posset dispensare in lege Pontificis, eo invito seu non consentiente, ipse quodammodo limitaret jurisdictionem Pontificis, eam impediendo à suo effectu in particulari materia: nam & legislatio & dispensatio sunt actus jurisdictionis. Igitur ex natura rei inferior nequit dispensare in lege Superioris, nisi de expressâ vel tacita ejus concessione.

Sed neque ex jure positivo, quod potius est in contrarium, ut patet ex dictis. Et optimum argumentum est: quia quando jura volunt concedere hanc potestatem inferiori, id declarant, vel per aliquam clausulam generalem, vel in aliquo casu speciali, de quo lex loquitur.

101.  
Probatio ex  
Concil.  
Trid.

Enimverò si inferior ex vi officii sui posset dispensare in lege Superioris, ad quid Concil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 6. ait: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus &c. dispensare? An fortè solum loquitur de irregularitatibus & suspensionibus expressè reservatis Pontifici? Omnibus, inquit, & subdit, Et in quibuscumq; casibus occultis, etiam Sedi Apostolica reservatis, delinquentes, &c. absolvere.*

Certum est, multas existere irregularitates, suspensiones &c. quæ non possunt ab Episcopis dispensari, de quibus non invenitur specialis prohibitio; sed ideò tantum, quia non inveniuntur concessæ. Ergò signum est, requiriti concessionem explicitam vel tacitam, præter officium, ut inferior possit in lege Superioris dispensare.

102.  
Objectio.  
Solvitur ex  
Suavio. 1.

Si objicias axioma illud: *Episcopus potest in suo Episcopatu, quicquid Papa in Ecclesia, nisi prohibeatur: Respondet Suavius de Legib. lib. 6. c. 14. n. 6. Nullo jure fundatum est, & in rigore censeo esse falsum, nisi multis modis limitetur.*

Nam in primis, supponit Episcopus habere ex jure divino absolutam & universalem jurisdictionem, intra suas Dioceses, limitabilem tamen à Summo Pontifice. Ego verò existimo immediate habere ab ipso Summo Pontifice, ad quem etiam spectat gradum & modum illius jurisdictionis definire.

Deinde: multa sunt, quæ potest Papa in universa Ecclesia, quæ in rigore nunquam potuerunt Episcopi, saltem eo modo, quo illa potest Pontifex; v.g. committere Presbytero ministerium Sacramenti Confirmationis, vel Ordinis, saltem quoad minores: dispensare in Matrimonio rato non consummato, vel in voto solemnium: concedere Indulgentias absolutè pro vivis & defunctis, usque ad plenariam remissionem: instituere censuras, approbare Religiones, canonizare Sanctos eo modo, quò à Pontifice fit.

Denique: si in aliquo sensu id tolerari potest, solum est quoad ea, quæ pertinent ad ordinariam potestatem, & gubernationem moraliter necessariam vel convenientem ad salutem animarum, & considerando potestatem Episcoporum, priusquam Pontifex aliquid agendum statuatur vel prohibeat; sic enim intelligitur Episcopus habere in tota sua Diocesi totam potestatem; quia ex vi muneris conceditur, & ut sic spectata non habet unde limitetur. Postquam verò Pontifex aliquid particulare per suam legem præscribit aut prohibet, eo ipso excipit illud ab ordinaria jurisdictione inferioris. Et ideò, nisi aliunde ei concedatur potestas dispensandi, non habet illam ex vi solius ordinariæ potestatis.

Denique dici potest; legem ipsam eo ipso, quòd Superioris est, secum afferre prohibitionem, ut nullus inferiorum audeat in eam falcerem mittere, nisi ei concedatur; neque præter hanc virtualem & quasi innatam prohibitionem, alia formalis & expressa per se requiritur. Ita præfatus Auctor.

Quæ doctrina nobis placet, & juxta eam procedit Conclusio nostra, quæ universim asserit, Episcopos ex vi solius ordinariæ potestatis non posse dispensare in impedimentis dirimentibus, cum hæc omnia sint leges Pontificiæ, neque in jure communi reperitur specialis concessio; nisi fortè, ut habet Conclus. in defectu pubertatis; de quo statim dicam.

Tantum præmitto; Legatum Pontificis non majorem in hac re habere potestatem, quam Episcopus habeat; atque adeò non esse ei integrum in his impedimentis dispensare, ut docet Gloss. cap. *Quia circa*, 6. de Consang. verb. *A sede Apostolica*, dicens: *Nota, quòd solus Papa potest dispensare circa gradus consanguinitatis, & non Legatus, sup. de transact. cap. ult. & 35. q. 3.* Quædam lex, & cap. *Scriptis*, 27. q. 2.

Nec obstat cap. 3. eod. ubi Legatus videtur dispensasse in gradibus consanguinitatis. Nam hæc dispensatio ( ut ait Gloss. ibi verb. *Indulgentiam* ) de auctoritate speciali domini Pape facta fuit, alias ( inquit ) non tenuisset, quia solus Pape in tali facto dispensat.

Nunc quod attinet ad defectum pubertatis,

Secundè.

103.  
Tertiò.

Quartè.

104.  
Approbatè  
doctrina  
Suavio.

Legatus  
Papa non  
habet hic  
majorem potestatem.  
quam Episcopus.

Occurrit  
objectioni.

105.

cap.

Probatur cap. 2. de Despons. impub. Nicol. Papa inquit: *Districte inhihemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad aetatem, legibus vel Canonibus determinatam, non pervenerint, conjugantur.* Ecce prohibitio. Sequitur potestas dispensandi: *Nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente: utpote pro bono pacis talis conjunctio toleretur.* Id est, dispensetur, ut communiter DD. intelligunt.

Sed à quo? An à solo Pontifice? Claret, quòd is possit dispensare. Ut ergò hæc verba frustranea non sint, sed aliquid operentur, censetur facultas dispensandi concessa Episcopo, juxta hanc communem & receptam doctrinam: Quoties Canon aliquis permittit in eo dispensari, vel impersonaliter de dispensatione loquitur, dicens: *Nisi in eo dispensetur*, nec explicat, à quo sit dispensandum, censetur facultas dispensandi circa illum concessa Episcopo.

Ratio jam est insinuata; quia cum verba aliquid operari debeant, c. *Si Papa*, 10. de Privil. in 6. nec dubium sit, posse Pontificem in eo Decreto dispensare, aut si ab ipso dispensetur, nullam contrahi culpam, aut pœnam à contravenienti incurri, censetur ea verba intelligi, ut permittant Episcopo dispensare, vel, nisi ab Episcopo dispensetur, ne frustranea sint. Maxime, cum potestas dispensandi sit ex se favorabilis, ac latè interpretanda, etiam dum non est clausa in corpore juris, quanto magis, quando in eo clauditur, ut impræsentiarum contingit.

Appositè Gloss. cap. *In quibusdam*, 12. de Pœnis, ubi cum textus dicat, certos hæredes non posse assequi prælationis honorem, & subdat hæc verba: *Nisi cum eis misericorditer fuerit dispensatum*, Gloss. inquam, verb. *Dispensatum*, ait: *Cum non determinetur à quo possit dispensari, dicit Ioan. quòd Episcopus potest dispensare.*

Et eadem Glossa cap. *Postulastis*, 7. de Clerico excommunicato ministr. ubi textus decidit, excommunicatos non posse retinere beneficia, subdens: *Nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum*, verb. *Dispensatum*, inquit: *Non dicit à quo: ergò videtur relicta potestas dispensandi Episcopis.* Ergo similiter in casu nostro, cum non dicatur à quo, videtur relicta potestas dispensandi Episcopis.

Rogas: si hæc ita se habeant; quare ergo addiderim in Conclus. 1. *Fortè?* Respondeo: quia Gloss. d. cap. 2. verb. *Conjungantur*, dicit, d. textum intelligi posse de sponsalibus, ibi: *Vel intellige quantum ad sponsalia: & idèd prohibentur, quia sepe mutant postea voluntatem: unde propterea oritur discordia inter ipsos, & divertentes consanguineis copulantur.* Plura de hoc textu diximus Sect. 10. Conclus. 7. quæ ibi videri possunt.

Equidem interpretando eum textum de solis sponsalibus, Episcopus non posset jure ordinario in eo impedimento dispensare; quia nullus alius textus affertur, in quo hoc ipsi conceditur. Interim verius est d. c. 2. etiam de Matrimonio tractare, & secundum hunc intellectum Episcopus poterit dispensare.

Bosco de Matrim. Pars II.

Infero, dicit aliquis: ergò etiam poterit dispensare in gradibus prohibitis: ergò perpetràm Conclusio excipit solum defectum pubertatis. Probatur prima Consequentia: quia Trid. sess. 24. de Matr. c. 5. ait: *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo & gratis dispensari poterit.* Non dicit à quo; ergò videtur relicta potestas dispensandi Episcopis.

Respondet Sanchez sup. disp. 6. n. 19. Ex antecedentibus colligitur, totum illud Decretum cum Pontifice loqui, proponendo illi expedire, ut nunquam dispenseet cum iis, qui malà fide similia inière Matrimonia: secus quando bonà fide. Adde: sic quòque consuetudine explicatum esse hoc Decretum.

Si arguitur: ergò frustranea est prior pars illius Decreti, cum nequeat Concilium potestatem Pontificiam restringere. Siquidem Concilium auctoritate Papæ congregatum, & ab ipso confirmatum, par est auctoritatis cum ipso Pontifice: par autem in parem non habet imperium, cap. *Innotuit*, 20. de Elect. ibi: *Nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum, imò eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem.*

Aliqui dicunt (inquit Sanchez lib. 3. disp. 45. n. 3.) si ex usu, aut experientia, aut prudentia constaret, dispensationem in aliquo Decreto vergere in damnum Ecclesiæ, Concilium posse hoc declarare, & definire in eo, non nisi in tali casu dispensandum esse: quia ad Concilium spectat, res ad fidem & mores spectantes definire: & eà definitione & declaratione facta, non posse Pontificem ex quacumque causa dispensare absque culpa lethali; quamvis dispensatio aliter facta valida foret, cum sit in jure humano. Et quòd peccet moraliter, probatur; quia Concilium in eà declaratione errare nequit, igitur talis dispensatio est perniciofa Ecclesiæ, & subinde culpa lethalis.

Quare, juxta hanc doctrinam, dicendum est, si in hoc casu, in quo Trident. statuit, clam contrahentes in gradibus prohibitis, spe dispensationis carere debere, Pontifex, absque nova justissima causa emergenti, dispensaret, eum lethaliter delinquere: secus ex tali causa. Quia licet talis dispensatio frequens, sit Ecclesiæ perniciofa; at quando est rara, & ex causa justa, non est talis.

Præterea: in impetratione dispensationis talis impedimenti, necessario exprimendum est Matrimonium sic contractum, ne sit subreptitia. Quia eo ipso, quòd Concilium decernit, hoc contrahentes spe dispensationis carere debere, constituit, hujusmodi Matrimonium impedimentum esse, ad dispensationem impetrandam; & consequenter tacitè jubet illud exprimi. Denique: quia in Decretis Concilii nunquam est visus Pontifex dispensare, nisi specialem mentionem faciat. Hucusque Sanchez.

P p p 2 Itaque

108. Objectio in Trid.

Solvitur in Sanchez.

109. Arg. contra.

Resp. Aliquorum, in Sanchez.

110. Pontifex dispensans in Decreto Trid. s. 24. de Matr. c. 5. sine justissima causa, peccat lethaliter.

106. Ratio communis doctrina.

Confirmatur ex duplici Gloss.

107. Quare addatur in Conclus. 1. Fortè.

III.  
Quis sit  
mens d. De-  
creti.

Trident.

112.  
Trid. non  
opponitur  
nostre Con-  
claf. que  
saris constat  
ex praxi.

Quid Epif-  
copus possit  
in dubio, ex  
Em. Sa.

113.  
Ejus doctri-  
nam distin-  
guendam  
putat San-  
chez, Prima  
pars.

114.  
Secunda.

Itaque in præfato Decreto non datur vel auferitur potestas Pontifici, quam ex officio suo habet; sed Concilium significat, quando conveniens fit vel non conveniens, illam dispensationem dari. Eo planè modo, quo idem Concilium sess. 25. de Reform. cap. 18. loquitur Pontifici & aliis Superioribus, quibus convenit dispensare, dicens: *Quapropter sciant universi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si urgens justaq; ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ & summâ maturitate, atque gratis à quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterq; facta dispensatio subreptitia censetur.*

Igitur Trident. non opponitur nostræ Conclusioni, quæ licet ratione aut jure scripto non posset sufficienter probari, certè consuetudine, & praxi universalis Ecclesiæ receptissima est; cum nullus Episcoporum soleat se intrmittere dispensationi istorum impedimentorum, per se loquendo; quando scilicet patet aditus ad Pontificem, vel eum qui habet potestatem delegatam, & quando constat de impedimento.

In dubio (inquit Em. Sa. verb. *Dispensatio* n. 1.) an res egeat dispensatione, potest Episcopus declarare, non egere, vel ad cautelam dispensare, secundum quorundam probabilem opinionem. Ubi non loquitur specialiter de dispensatione horum impedimentorum, sed generaliter de omni dispensatione.

Quam utique doctrinam Sanchez lib. 8. disp. 6. n. 18. putat non omninò admittendam esse, sed sic distinguendam existimat. Si (inquit) omninò res sit dubia, an interveniat impedimentum, nec ne, nullâ opus est dispensatione: quia in hoc dubio præsumptio est pro libertate ad contrahendum. Atque posset tunc Episcopus gratiâ tollendi scandali declarare, non esse opus dispensatione, vel ad cautelam dispensare.

Sed credo, hanc non esse veram dispensationem. Et ideo, si postea, etiam inito Matrimonio, constaret impedimentum dirimens, alia dispensatio Pontificis quærenda esset. Quia nullibi invenio, posse Episcopum verè dispensare in hoc dubio in impedimentis dirimentibus: sed est quædam prudentialis declaratio, quam etiam vir doctus posset facere.

Quando autem non est omninò res dubia; quia præsumptio urget pro impedimento, est necessaria dispensatio, nec potest Episcopus. Ut si quis cum femina coëat, & dubitet, an semen ceciderit intrâ vas; quia vel dubitat, an seminârit, vel estò seminârit, an intrâ, extrâve; ac proinde contraxerit affinitatem cum sorore illius; in hoc dubio non poterit sororem illam ex Episcopi dispensatione ducere; quia cum in hoc dubio præponderet præsumptio, ex communiter accidentibus orta, nempe quando est coitus cum femina intrâ vas, esse quoque intrâ seminationem, censendus est ille coëns laborare impedimento dirimenti. At quando non esset præsumptio, semen incidisse intrâ vas, ut si copula non est intrâ, sed propè vas, tunc non

esset in eo dubio necessaria dispensatio.

Tandem: quando res non esset verè dubia, *Tertia.* sed essent opiniones, quibusdam asserentibus id esse impedimentum, alijs verò negantibus; si opinio negans esset verè probabilis, quamvis affirmans esset probabilior, posset ille sequens opinionem probabilem, inire id Matrimonium absque aliqua dispensatione. Quòd, juxta veriorè sententiam, satis fit in rebus moralibus sequi minùs probabilem sententiam, si tamen verè probabilis sit. Quòd si nec sit opinio, nec merè dubium; sed magis propendatur in eam partem, ut sit impedimentum, nullo tamen assensu illius partis habito, nec existente aliquâ juris præsumptione pro impedimento: tunc adhuc censendum est, non esse impedimentum, nec exigitur dispensatio, sed standum est pro libertate contrahendi Matrimonium. Hactenus Sanchez.

Nunc audite Caramuelem Theol. moral. lib. 3. n. 1347. In dubio an detur impedimentum antè Matrimonij contractum, potes liberè contrahere sinè dispensatione. Patet; quia standum est pro tuâ possessione libertatis. Quòd est intelligendum de homine libero, & nulli certo impedimento obnoxio; tum enim datur vera libertatis possessio. Si autem dubites, an impedimentum habeas, eò quòd scias te habuisse verum impedimentum, nescias tamen, an obtinueris validam dispensationem; tunc etiam standum pro possessione est, & cum impedimentum in possessione sit, censendum dari impedimentum.

Emanuel Sa, virum aliàs ingenio forti, claro, inò & audaci præditum, video verb. *Dispensatio*, n. 1. in re clarissima hærentem & scrupulizantem: in tali casu desiderat recurri ad Episcopum, ut declaret, quòd non requiratur dispensatio; aut si & ipse dubitet, in dubio dispenser. Sed nescio, an secuta sit illa Episcopi declaratio; raro enim ipsi tam docti, ut præponi debeant Theologiæ Professoribus. Felix judico Belgium; ab ipso enim erectionis initio, Episcopatus doctissimos viros præfecit (utinam adhuc præficeret) sed ignorare Sa non poterat, in multis Provinciis, ad summas dignitates, nobiles, aut fortè divites promoveri, & in tali casu quid facturus esset cum Episcopi declaratione, non scio. Illa quidem dispensatio in dubio concessa, nocere non posset; sed hic non solum inquiritur, quid possit, sed quid debeat fieri; & dicimus, dispensationem illam in dubio non debere peti, sed posse; multa enim inutilia possunt licitè fieri. Hæc ille.

Sed dicit aliquis: peccatum dubiè reservatum Pontifici, absolvitur ab Episcopo; similiter votum dubiè reservatum Pontifici, dispensatur ab Episcopo; ergò consimiliter impedimentum dubium dispensatur ab Episcopo, ita ut Matrimonium valeat, estò reverà impedimentum subesset, & ideo dispensatio illa non est inutilis, quidquid sit de ejus necessitate ad licitè contrahendum.

Quære solutionem; sed vide, ne operam & oleum *Quæritur solutio.*

115.  
Quid senti-  
turi de hac  
re Caram-  
uelem.

Dubitas an  
Declaratio  
Episcopi in  
tali casu sit  
secunda.

116.  
Objeccio.

Quæritur  
solutio.

oleum perdas. Scio reservationem esse odiosam, & ideo strictè interpretandam. Sed & aliqua impedimenta Matrimonij sunt odiosa; quid ni & omnia, cum auferant naturalem facultatem contrahendi Matrimonium? Fateor, absolutionem à peccatis esse magis necessariam ad salutem animarum, uti & dispensationem in votis, quæ frequentius occurrunt, quàm dispensatio in impedimentis; interim hæc necessitas major non impedit, quin Pontifex in dubio potuisset ea sibi reservare. Imò aliqui putant, sibi reservasse absolutionem. Ex quo ergò constat, impedimentum dubium minis esse dispensabile ab Episcopo, quàm votum dubiè reservatum?

117. *Quæritur mihi, an possit Episcopus dispensare in impedimento dubio, quàm absolute à peccato dubiè reservato.*  
An fortè; quia impedimentum est lex Superioris; votum autem dubiè reservatum minime? Sed nunquid reservatio lex Superioris est? Planè, inquis; sed non dispensat in reservatione, aut tollit legem reservantem; sed absolvit peccatum, quod reverà subest, & cujus absolviendi habet potestatem, & dispensat in voto, quod alioqui obligat, sive sit reservatum, sive non. Porro in casu nostro, vel impedimentum dubium non est lex, & sic nullà eget dispensatione; vel est vera lex Superioris, adeoque nequit tolli per inferioriorem, nisi de expressa vel tacita ejus concessione.

Quòd nolit reservare peccatum, aut votum dubium, habemus ex communi quasi sententia, & praxi Ecclesiæ; at verò, quòd velit obligare impedimentum dubium, & in eo possit dispensare Episcopus, ex nullo jure aut praxi Ecclesiæ constat: & si qui id doceant, ut Sa sup. insinuat, pauci admodum sunt, ego hæctenus neminem vidi. Interim proposui difficultatem; cui solutio non satisfacit, quærat meliorem, & cum invenerit, renuntiet mihi.

118. *Pontifex potest delegare alteri potestatem dispensandi.*  
Atque hæc satis de potestate ordinaria, id est, quæ jure communi competit vel non competit Episcopo. Transeo ad extraordinariam. Equidem Pontificem posse alteri delegare potestatem, quam ipse habet, dispensandi in quibusdam impedimentis, extra dubium est. Quibus autem eam delegaverit, infra videbimus. Prius elucidemus potestatem, quam habent Episcopi ex tacita concessione Pontificis, quasi annexam suo muneri seu officio Episcopali.

119. *Quando Episcopus possit dispensare ex tacita concessione Papæ.*  
Conclusio nostra asserit, Episcopum posse dispensare pro foro conscientie, quando impedimentum est occultum, & urget gravis necessitas, neque Papa facile adiri potest. Hæc est potestas extraordinaria, quæ fundatur in benigna legis & mentis Legislatoris interpretatione, argumento desumpto à casibus Pontifici reservatis, in quibus Episcopo in iisdem circumstantiis conceditur potestas absolvendi. Quid ita? Quia sic postulat bonum commune, ne alioqui reservatio potius cedat in destructionem, quàm in ædificationem animarum.

Ergò similiter in casu nostro, cum impedimenta Matrimonij instituta sint ab Ecclesia, & Pontifici reservata, ob Charitatem, bonam

que Reipub. gubernationem; esset autem contra charitatem, & suavem Ecclesiæ gubernationem, in casu tantæ necessitatis, quando aliter scandala & peccata vitari non possunt, manerentque homines remedio destituti, reservatio dispensationis intelligi; sequitur, in eo casu non esse intelligendam, ne alioquin potius cedat in destructionem, quàm in ædificationem animarum, contra illud Apostoli 2. Cor. 10. *Nam etsi amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram.*

Vel ergò rebus ita dispositis, per se cessat impedimentum, quod communiter negatur, vel jure merito dicimus, Pontificem potestatem dispensandi Episcopis concessisse. Ita DD. communiter, paucis contradicentibus, qui tamen admittunt, communem sententiam esse probabilem. Sic Cordubensis lib. 1. Quæst. Theol. q. 11. postquam retulisset rationes quinque pro communi sententia, subjungit: Propter has rationes videtur hæc opinio probabilis, quodque potest praticari: maxime ubi esset talis consuetudo, quòd Episcopus dispense in talibus casibus periculosis.

Interim opposita opinio videtur ipsi probabilior; scilicet, quòd non potest Episcopus dispensare in casu proposito, propter, inquit, duas rationes. Prima est; quia contra Canonem Papæ vel Concilij dispositivum, qualis est inhabilitans seu illegitimans aliquos ad Matrimonium, non potest Episcopus dispensare quoad aliquid in futurum nisi hoc ei expressè concedatur; aut nisi, quando Canon dicit, super eo posse dispensari; aut nisi sit consuetudo legitime præscripta, quæ Episcopus super eo dispense. Nunc autem hæc potestas nullibi conceditur expressè: nec est consuetudo Episcopis præscripta, sed potius opposita; ergò &c.

Consequenter patet, & Minor probatur: quia si Papa vel Ecclesia non concedit actualiter posse dispensari, non valet dispensatio Episcopi in prædictis, ut communiter tenent DD. Minor etiam probatur: quia & Papa & Ecclesia expressè reclamant, quando scit Episcopos aliquando in prædictis dispensare, quod & sæpè expertus ego sum: nam & Prælati quidam seu Episcopi satis docti & timorati, instructique de illa prima opinione, atque rogati, ut dispense in prædicto casu, quantum possunt in foro conscientie, ut coram Deo valeat, quantum eorum dispensatio valere potest, nolunt dispensare, neque audent id attentare. Sic ille.

Respondeo: illos Episcopos non esse satis doctos, & timere ubi non est timendum; siquidem quotidie prima opinio voce & libris impressis traditur: undè videtur omninò incredibile, Pontificem hoc latere, qui cum posset contradicere, & tacet, præsumitur id approbare, atque adeò concedere Episcopis hanc potestatem. Dicit quidem Corduba, Papam & Ecclesiam expressè reclamare, sed ubi? Quod (inquit ille) & sæpè expertus ego sum.

*Est communis opinio.*

120. *Cordubense videtur opinio sententia probabilior.*  
Prima ratio.

*Probatur minor.*

121. *Reprobatur.*

*Quare aliquando Ecclesia reclamet.*

Respondeo: fieri potest, ut Pontifex vel Ecclesia reclamaverit in aliquibus casibus; quia judicavit, non fuisse sufficientem necessitatem. Et alii Auctores supponunt, primam opinionem ab Episcopis praticari, non reclamante Pontifice.

122. *Communis opinio scriptis hodie praticatur, ex Perez & Gobat.*

Mart. Perez de Matr. disp. 44. Sect. 6. n. 3. ait: primam opinionem jam videri certam, postquam, inquit, Pontifici constat id fieri ab Episcopis; quia id sua taciturnitate approbare praesumitur. Et Gobat in suo Alphab. tr. 9. cal. 21. n. 576. testatur, eam praticari in Diocesi Constantiensi, nullo scilicet contradicente.

Igitur, quidquid sit de tempore, quo Corduba vixit, constat experientia hujus temporis; Episcopos sine scrupulo passim dispensare, quando talis casus occurrit, absque aliqua contradictione.

123. *Occurrit evasioni.*

Nec potest dici: Pontifex nescit; quippe, ut dictum est, haec doctrina traditur voce & libris impressis ubique terrarum. Cumque sit res maximi momenti, verisimile est, quod opinto illa a sede Apostolica, ad quam de per se spectat dispensatio, prosciberetur, quod haecenus tamen non est factum.

Probandum igitur manet, consuetudinem legitime praescriptam id hodie negare Episcopis, aut certe non concedere. Sed neque id approbare Pontificem sua taciturnitate. Expressam concessionem non habemus: nisi quis veller dicere, Trid. sess. 24. de Refor. c. 6. per suspensiones, quarum dispensationem Episcopis committit, intellexisse etiam impedimenta Matrimonii.

124. *Utrum hac potestas concedatur Episcopis a Trid.*

Utrum (inquit Corduba sup. §. Sed jam in Concilio Trid. in fine) in his concedatur, etiam posse dispensare in impedimentis occultis Matrimonii, aliorum esto iudicium: videtur enim quod non, nam, secundum jura, nomine suspensionis non videntur praedicta impedimenta comprehendi. Sic ille. Profecto neminem haecenus vidi, qui sic intellexerit d. locum Trid.

*Videmus, quod nulla exet expressa concessio. Sed hac non est necessitas, ex exemplo aliorum praepiorum.*

Fatemur igitur libenter, nullam esse expressam concessionem; sed negamus, illam esse necessariam; nam Omnes omnino admittunt, Episcopum, imò & alios inferiores, posse dispensare in legibus Fectorum & jejuniorum universalis Ecclesiae, sive a Pontifice latis, tametsi nupiam expresse id eis concedatur; enimvero conceditur tacite, hoc ipso quod conceditur regimen animarum, ad quod debite exequendum moraliter necessaria videtur illa potestas.

Ergo similiter in casu nostro, Pontifex concedendo jurisdictionem Episcopalem, tacite concedit potestatem dispensandi in legibus impedimentorum, quando regimen animarum sic postulat; quod tunc fit, quando observatio legis seu impedimenti moraliter impossibilis est, id est, quando imminet periculum aeternae damnationis, aut etiam gravis incommodi vitae, famae ac bonorum temporalium, nisi hic & nunc Episcopus dispenset.

125. *Resp. Corduba.*

Respondet Cord. sup. §. Ad secundam: Directe Ecclesia nihil praecipit aut statuit, quod sit

scandalosum, aut laqueus peccati; indirecte autem, aut per accidens, negatur. Nam Ecclesia praecipit & statuit multa, quae per se non sunt scandalosa, neque laqueus peccati, bene tamen per accidens; quia scilicet ex culpa aliorum, seu etiam sine culpa, alii sumperunt vel fecerunt sibi vel aliis occasionem aut laqueum peccati: Sicut ex beneficiis Christi, & Sanctorum, Judaei aut alii fecerunt & sumperunt occasionem peccati. Similiter & multi sunt hujusmodi laquei, emergentes occasionaliter ex aliis constitutionibus Papae & Ecclesiae; & tamen non obstantibus his, sunt validae tales constitutiones, ut patet in materia excommunicationum, suspensionum, & Matrimoniorum & casuum reservatorum.

126. *Cona ut pracludere evasione.*

Si dicas: Ecclesia tenetur providere suis filiis de remedio etiam in his scandalis passivis, & laqueis occasionatis &c. Respondeo, concedendo id, quantum attinet ad peccatorum debitam & sufficientem liberationem seu praeservationem: non tamen quoad damnorum omnium temporalium remedium praestandum: datur enim perplexitas tam in lege Dei, quam Ecclesiae inter duo mala, quorum alterum est culpa, alterum poenae, ita quod necessariò est in alterum eorum incidendum, pro vitatione alterius; ut patet in casibus multis, ubi non potest quis vitare peccatum, nisi patiatur jacturam vitae, rerum aut honoris.

*Datur aliquando perplexitas in lege Dei & Ecclesia.*

Et sic est in casu praesenti: nam Deus & Ecclesia sufficienter provident in talibus casibus, quomodo vitetur peccatum fornicationis, & omne aliud peccatum: si tamen tam vir, quam mulier, & alii omnes faciant quod debent, quamvis inde sequatur jactura temporalis vitae, rerum aut honoris. Quid autem & quomodo fieri debeat, ut vitetur omne peccatum in hujusmodi casibus, id in secundo articulo sequenti habetur, & si sequitur damnum temporale ex his, patienter feratur, & suis peccatis imputetur, & Deo offeratur cum aliis vitae incommoditatibus; melius est enim animam, quam corpus salvare. Sic Cordubensis.

127. *Declaratur, & in praesentia casu.*

Ego autem dico: optimum est & animam & corpus salvare; jam autem in nostra opinione, per dispensationem Episcopi & anima & corpus salvatur. Censefne, legem Ecclesiasticam de jejunando, de evitando excommunicatum nominatim denuntiatum, aut notorium Clerici percussorem, de audienda missa die Dominico, & de cessando ab opere servili die festo, ac etiam de consistendo in quadragesima, aut in articulo mortis, aut de suscipienda Eucharistia, censefne, inquam, has aut similes leges obligate, quando sine periculo probabili mortis, aut magnae jacturae honoris observari nequeunt? Quare ergo non similiter cessabit vis legis Ecclesiasticae, illegitimae hos vel illos, in casu periculi mortis corporalis & spiritualis, ita ut possint invicem consentire & matrimonialiter copulari, ac si nulla esset lex Ecclesiastica, id prohibens & illegitima in tali casu?

*Arg. ab alijs praepiis, quae non obligant in necessitate.*

Respondet Corduba sup. §. Respondeo: Quod ratio

128.

Ratio diff-  
rentia ex  
Corduba.

ratio differentia est; quia lex, etiam Ecclesiastica, sæpè observanda est, etiam periculo mortis non obstante; putà, quando contemptus legis, vel scandalum grave aut injuria fidei interveniret, vel discrimen aliud publicum sive commune: & ita ex operis gravitate, attentis circumstantiis, atque sequelâ, talis obligatio in periculo mortis pensanda est.

Ideo lex divina vel Ecclesiastica de jejunando, de confitendo, de audiendo Missam die festo, de vitando excommunicatos, & hujusmodi non obligat in discrimine mortis, nisi grave scandalum, aut legis contemptus, ut diximus, intersit; lex autem de celebrando cum vasis & vestibus sacris, & lumine, & lex illegitimans ad Matrimonium, in discrimine mortis obligat, & servanda est; quia nisi etiam tunc generaliter servaretur; utique vel irrisio fidei, aut Reipub. Christianæ & humanæ politia bonum periclitaretur, aut grave damnum ejus ut plurimum sequeretur. Nam, ut multiplicibus fraudibus, & peccatis aliis obviatur, Legislator, etiam humanus, rectè tales leges, cum tanto discrimine, inviolabiliter vult & intendit obligare & servari, id quod ex praxi Ecclesiæ etiam perpendi potest.

129.  
Admittit,  
quod in casu  
presenti Ec-  
clesia possit  
non obligare  
eum periculo  
vita.

Quæ si aliquando vellet benignè agere, etiam stante operis gravitate, ut in casu præsentis, utique possit per suam legem cum discrimine mortis non obligare, ut ita multis periculis animæ & corporis prospiceretur. Hactenus Corduba.

Quæro ego: Ecclesia possit facere, ut lex sua non obligaret cum periculo mortis, quando contemptus legis vel scandalum grave, aut injuria fidei interveniret, vel discrimen aliquod publicum & commune? Vel si possit, quare, cum sit pia mater, non vellet prospicere multis periculis animæ & corporis suorum filiorum?

130.  
Quid do-  
ceat com-  
munis sen-  
sentia.

Sed neque hæc nostra sententia dicit, quod ipso facto cesset lex, illegitimans Matrimonium, quando non potest servari, sine periculo vitæ, aut alio gravi incommodo famæ, aut bonorum temporalium, ita, ut Matrimonium valeat, quod aliàs esset invalidum; quid ergo? Quod Episcopus possit tali casu dispensare, ex tacita voluntate Ecclesiæ; in qua utique dispensatione, & Matrimonio subsequente, neque contemptus legis, neque grave scandalum aut injuria fidei intervenit, neque discrimen aliud publicum sive commune. Quis hoc non videt?

Deinde dico: legem Ecclesiæ tali casu non sic obligare, ut quis nequeat licitè contrahere, tamen invalidè, ut alibi docuimus, sine animo tamen copulæ, aut alterius actûs turpis, qui per legem naturalem prohibetur non conjugatis.

131.  
Objectio.

Reponet quispiam: hic non tantum agitur de violatione legis Ecclesiasticæ; sed etiam naturalis; nam ex natura rei inferior non potest tollere seu dispensare in lege Superioris: lex autem naturalis obligat cum periculo vitæ.

Solvitur.

Prorsus obligat. Sed nunquid Episcopus dispensando violat legem naturalem? Minimè, alioqui etiam violaret eam, quando de expressa licentia Pontificis dispensaret, quod liquido fal-

sum est. Non enim dicit lex naturalis: Inferior non potest tollere legem Superioris; sed, non potest tollere propria auctoritate, id est, invito seu non consentiente Superiore; jam autem sententia nostra asserit, Episcopum dicto casu tollere legem Superioris eo consentiente, si non explicitè, saltem tacitè, ut ante ostendimus. Porro per consensum tacitum posse acquiri jurisdictionem, patet ex dictis Disp. 8. Sect. 2. Conclus. 6.

Igitur consentio, Inferiorem non posse dispensare in lege Superioris, non propter superadditam reservationem; sed ex natura rei, eo ipso, quod lex Superioris est, ut sup. dicebat Suarius, attamen hoc non officit nostræ & communi doctrinæ; quia, sicut jamjam dixi, natura solum dicit, inferiorem non posse tollere legem Superioris, præter ipsius voluntatem. Oportet ergo Adversarios nostræ ostendere seu demonstrare, in casu Conclus. inferiorem dispensare in lege Superioris, præter ipsius voluntatem. Quod difficulter præstabunt.

Etenim nos dicimus, Pontificem non solum concessurum fore potestatem illam, si rogaretur (quæ est voluntas merè præsumpta in futurum, insufficientis ad dandam jurisdictionem) sed etiam de facto eam concedere, quamvis tacitè, tamquam inclusam in generali concessione jurisdictionis Episcopalis, cum sit moraliter necessaria ad conveniens regimen animarum, ne Ecclesia videatur potius noverca esse, quam pia mater, potius contra charitatem, quam secundum eam subditos suos obligare, imponendo jugum quoddammodo importabile; cum Christus, cujus Vicarius est Pontifex, dicat: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.*

Non negamus, perversos homines ex constitutionibus Ecclesiæ posse interdum accipere occasionem peccandi, & nihilominus eas validas esse; sed tamen constanter asserimus, fragilitatem hominum sæpius esse causam dispensandi in legibus Ecclesiæ. Et ita impresentiarum, fragilitas eorum, qui contraxerunt Matrimonium cum impedimento occulto, potest quandoque esse causa sufficiens dispensandi, quamvis lex per se non cesset; atque adeo potest esse causa sufficiens, quare Pontifex censeatur concessisse potestatem dispensandi Episcopis, quando ad eum accessus est moraliter impossibilis. Sicut in casu extremæ necessitatis quilibet Sacerdos potest in quemlibet, & à quolibet casu & sententia reservata absolvere: & hoc conceditur vel à jure divino, vel Ecclesiastico, secundum diversas opiniones, idque propter periculum, probabiliter imminens, evitandum. Ergo similiter in casu nostro. Patet Consequentia per identitatem rationis.

Respondet Cord. sup. §. Ad tertiam, neg. Consequentiam. Et ad probationem, inquit, negatur, quod ibi sit identitas rationis; & dato, quod sit omninò eadem ratio, adhuc negatur Consequentia. Ratio est; quia quamvis casus exceptus à lege seu regula juris, extendatur ad casum ejusdem vel similis rationis, quando lex

132.  
Quare in-  
ferior non  
possit dis-  
pensare in  
lege Super-  
ioris.

133.  
Fragilitas  
hominum  
sæpè est cau-  
sa dispensan-  
di in legibus  
humanis.

134.  
An hic va-  
leat arg. ab  
Absolutione  
in extremis?  
Negat Cor-  
duba, &  
probat.

seu

seu exceptio talis casus, fundatur in sola ipsa ratione, etiam ante Principis seu juris dispositionem: quia tunc secundum talem rationem est sensus legis, & exceptionis prædicti casus, ut communiter tenent DD. Tamen hoc non est verum, quando exceptio illius casus à lege communi fundatur non solum in ipsa ratione, sed etiam, idque principaliter, in Principis seu juris humani dispositione & voluntate: ita, quod si Princeps aut lex non exceperet illum casum à lege communi, certè non fuisset exceptus, quàmvis esset justa ratio, ut excipi deberet.

Nunc autem ille casus exceptus à lege communi, scilicet quod in casu extremæ necessitatis corporalis potest Sacerdos quilibet in quemlibet &c. non habet fundamentum in sola ratione, vel jure solo divino, quàmvis multi DD. teneant oppositum: sed præcipue ex Papæ vel Ecclesiæ seu juris dispositione, ita quod, nisi Papa aut jus id concessisset aut exceperet, certè non esset exceptus talis casus, neque posset quilibet in quemlibet, quàmvis ad talem exceptionem faciendam esset causa rationabilis, ut tenent plurimi DD. Ergo non est extendendus ille casus ad casum præsentis quæstionis; quia iste non est simpliciter exceptus ex sola ratione; sed neque ex juris dispositione, quàmvis sit eadem justa causa, ut excipi deberet. Hucusque Cordubensis.

135.  
Impugnatur.

Verum enimverò, pace ejus dixerim; si sit eadem justa causa, ut excipi deberet, quare negamus, Pontificem eum excipisse? An forsitan Pontifex nolit facere, quod deberet facere? Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus.

Præcluditur  
aversio.

Si dixeris: Corduba non loquitur de debito strictè dicto. Transeat: saltem de debito convenientiæ. Sed & hoc Pontificem nolle solvere, ex quo constat? Allegat quidem Corduba expressam reclamationem Pontificis & Ecclesiæ, ut sup. audivimus; sed non satis eam probat. Et sanè, si ita convenit Episcopum in tali casu dispensare, sicut convenit, ut quilibet quemlibet possit absolvere à reservatis in articulo mortis, non est verisimile, Pontificem aut Ecclesiam reclamasse.

136.  
An sit eadem necessitas in utroque casu.

An autem sit eadem necessitas in utroque casu, ego valde dubito: nam in uno casu agitur de salute æterna, & plena libertate conscientiæ, quæ postulat, ut quilibet cuiuslibet possit confiteri, ne pereat: sic enim ait Trident. *Piè admodum, ne hæc ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque idè omnes sacerdotes, quoslibet penitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* At verò in casu nostro solum agitur de evitando peccato & damnis temporalibus.

Et fortè idè Ecclesia expressè excipit articulum mortis à lege reservationis, ne quispiam posset, vel saltem leviter, suspiciari oppositum, atque ita scrupalizare, vel in confitendo, vel in absolvendo cum periculo æternæ damnationis. Porro impræsentiarum non habemus expressam constitutionem; sed Ecclesia reliquit hoc quo-

dammodò disputationi DD. ut audiret, quid ipsi de hac re sentirent, & Episcopi practicarent: quæ praxis est optima legum interpres, quando contrarium ab Ecclesia non declaratur; sicuti hic non invenitur ulla expressa constitutio, quæ illa dispensatio Episcopis prohibetur.

Hæc puto sufficient, ut Concluf. nostra sit 137. verè probabilis & practicabilis sinè aliquo scrupulo, quando verè res sic se habet, prout in Concluf. exprimitur; videlicet, ut impedimentum sit occultum; secundò, ut gravis necessitas urgeat; & tertio, ut Papa facile non possit adiri, quæ indigent aliquâ explicatione.

Si quis ergò à me postulet; quodnam impedimentum sit occultum; & quare hæc sententia non procedat etiam in impedimento publico, cum tunc quoque posset occurrere talis necessitas, ut ait Garzia de Benef. part. 11. n. 350. Garzia.

Respondeo ad primum cum Henriquez lib. 138. 12. de Matr. c. 3. n. 1. & 2, quem sequitur Sanchez lib. 2. disp. 40. n. 11. dicitur impedimentum occultum, quando non publicè constat, nec facile constare potest, periculumque non est, ut in foro externo detegatur. Si enim periculum sit, ut propter illud, aliquando detectum, in judicio accusetur Matrimonium; periculum quoque est, ut occultà dispensatione jam validum, cum majori scandalo dissolvatur in foro exteriori. Sic per Concil Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. conceditur Episcopis dispensare & absolvere in casibus Sedi Apostolicæ reservatis, si modò occulti sint, nec deducti ad forum contentiosum. Porro non constat publicè impedimentum, quod licet fortè notum sit tribus aut quatuor, non tamen majori parti viciniæ, ut notat Gobatius sup.

Ad alteram q. dico: quando impedimentum publicum est, vix aut ne vix unquam potest occurrere gravis necessitas: nam per auctoritatem publicam in foro externo possunt facile separari, sinè alia nova infamia; & tamen Episcopus dispensasset pro foro conscientiæ, equidem forum externum, ut statim dixi, eos separaret cum majori scandalo.

Quàmvis etiam (inquit Garzia sup.) tunc possit Episcopum dispensare in facti contingentiâ, quando etiam Matrimonium erat jam separatum, consuluerint aliqui Theologi hujus civitatis (Abulensis) & de facto dispensasse audiverim: jam enim moris est Theologis Hispanis hujus temporis, omne facere probabile, novas inventando opiniones, adèd, ut nihil ferè sit, quod ab eis non probetur: unde veritas & doctrina solida & antiqua magnam jacturam fecerunt. Hæc ille.

Magna profectò laus Theologorum Hispanorum, quorum ipse unus est. Credo, quod existimaverit, se non esse sicut cæteri; alioquin suum opus non parùm dedecorasset. Quidquid sit de illis Theologis Hispanis, nos sequimur Theologos Belgicos, qui requirunt ut impedimentum sit occultum, & Matrimonium publicum.

Enimverò dum etiam Matrimonium est occultum,

149.

Quando est occultum Matr. non est gravis necessitas.

cultum, non sunt nata provenire scandala & alia incommoda ex separatione, veluti dum est publicum; & ita deficit secunda conditio, scilicet gravis necessitas urgens, quæ tunc est, quando absque scandalo separari nequeunt, eo quod prolem v. g. habeant, quæ parentibus destituta commodè educari non potest; vel alter solus impedimentum novit, nec, cum occultum sit, probare potest; vel illud absque famæ jactura detegere non potest, v. g. affinitas ex copula fornicaria; imò absque jactura vitæ: vel si uterque impedimenti conscius sit, cum probare nequeat, absque scandalo separari non potest, nec permittitur aliud Matrimonium inire: atque ita maximo incontinentiæ periculo expositus erit.

141. Requiritur ut Papa facile auri non possit.

Rebus sic stantibus, præterea requiritur, ut Papa facile adiri non possit, sive quòd longissime distet à loco contrahentium, vel quia ob istorum magnam paupertatem pecuniæ non suppetunt pro expensis petendæ dispensationis, vel ob aliam justam causam, v. g. periculum vitæ &c. Alioquò quàmvis sit urgens necessitas, ut dispenseetur, tamen nulla est necessitas, ut ab Episcopo dispenseetur, quæ tamen requiritur, ut manifestum est. Sive ergò inopia contrahentium, sive aliquid aliud impedimento sit, ne Pontifex consulatur, parum refert, dummodo reverà sit periculum, nisi Episcopus dispenseaverit.

An Episcopus suis sumptibus debeat Romam procurare dispensationem. Valquez.

Sed nunquid Episcopus tenetur suis sumptibus dispensationem Romam procurare, ad sublevandam inopiam contrahentium? Affirmat Valquez 1. 2. disp. 178. c. 2. n. 16. ubi loquens de nostra opinione, ait: Ego eam non probarem, quoties Episcopus potest certiore facere Pontificem, & pauperiem eorum, cum quibus dispensandum est, ipse potest supplere, ut negotium ad Pontificem deferatur. Nam si hoc modo Pontifex consuli potest, quâ ratione Episcopus in lege Pontificia dispenseabit? Ita interrogat Valquez.

142. Arguitur pro parte negatvæ. Diana.

Respondeo: hæc ratio, quia non ostenditur obligatio Episcopi. Ego credo (inquit Diapart. 8. tr. 3. resol. 71.) Episcopus non teneri in impetrandis his dispensationibus reditus suos consumere, maxime cum aliis melioribus, aut æquè bonis & necessariis possunt impendi: poterit ergò dispensare ob paupertatem partium, etiam cum ipse eam paupertatem supplere potest, & ita habet praxis & sentiunt Doctores. Hæc ille.

Sanchez.

Et Sanchez Sum. lib. 4. c. 40. n. 39. in fin. inquit: Non video, quâ ratione obligandus sit Episcopus, ad has expensas ministrandas, nec praxis ita fervat. Nec aliquis ex multis Doctoribus, quos pro ea regula (dispensandi in necessitate) retuli, hujus limitationis meminit.

143. Inducitur Aversa.

Iuvabit audire de hac re Aversam q. 19. sect. 2. §. Designari autem: Sanè (inquit) non videtur adeò urgere hæc causa inopiæ; tum, quia per viam Sacræ Pœnitentiariæ in foro conscientia obûneri possunt & solent quædam dispensationes, absque ulla expensa: tum, quia

Bosco de Matrim. Pars II.

deberet pritis diligens studium adhiberi, ad conquirendas eleemosynas & pecunias, quàm recurratur ad Episcopum pro tali dispensatione: tum, quia si non esset notabilis expensa, expectaret interdum, ut Episcopus in hoc opus aliquam eleemosynam erogaret, quàm ex se dispensaret, ut notum mihi est, aliquos pios Episcopos præstitisse. Non est tamen negandum, posse quandoque sufficere causam inopiæ, in quo Episcopus non obligaretur notabilem præsertim summam expendere, vel cum suo incommodo vel aliorum piorum operum detrimento. Sic ille. Et merito.

Porro continuò adjungit: Urgentior & fortè frequentior causa est, quâ contingit non posse procurari seu expectari, donec obtineatur dispensatio à Pontifice, ut in pluribus casibus compertum habeo; Si mulier, antequam cum viro contraheret, fuerat ab aliquo illius in primo vel secundo gradu consanguineo cognita, & non possit absque magna sui infamia, & fortasè absque vitæ periculo id viro detegere: nec ullo apparenti prætextu possit diu negare debitum viro petenti, & per aliquod longinquum spatium distet à Roma, ut non possit citò dispensationem habere, & interim vel in maximo incontinentiæ periculo, si viro consentiat, vel alio gravi discrimine, si recuset, versetur; hæc, inquam, erit urgens causa, quâ ob difficultatem adeundi, etiam per litteras, Apostolicam Sedem, possit ab Episcopo dispensationem accipere.

Consultò dico: si mulier illud affinitatis impedimentum incurrerat: quia alioquin, si vir cognoverat consanguineam uxoris, potest facile, absque damni periculo, reculare ad tempus reddere debitum, si fortè petatur; cum rariùs soleant ab uxoribus viri compelli; vel occasionem arripere divertendi in alium locum, donec dispensatio à Pontifice expectetur.

Consultò etiam exemplum posui in hoc affinitatis impedimento, quia alioqui, si impedimentum sit consanguinitatis, aut aliud, facile poterit absque infamia aliove periculo manifestari aliis, quibus oporteat, & præsertim inter ipsosmet conjuges, ut ad tempus abstineant vel recedant, donec adveniat dispensatio à Pontifice. Hucusque Aversa.

Verbo ut absolvam; Episcopus, à quo petitur dispensatio, expendat necessitatem, si reverà talis sit, ut Pontifex debeat consentire: non quòd jurisdictio injustè seu irrationabiliter negata, propterea censeatur concessa; contrarium siquidem alibi probavimus; sed quia rationabiliter præsumimus, ut patet ex dictis, pro tali necessitate Pontificem, non solum, si peteretur, concessurum jurisditionem, sed de facto concedere.

Idque verum existimamus cum Sanchio lib. 2. disp. 40. n. 6. sive unum sive plura impedimenta simul occurrant. Tametsi namque, quando delegatur seu committitur alicui dispensatio in uno Matrimonij impedimento, manifestum est, cum non posse dispensare,

Q 99

144. Causa aliqua recurrendi ad Episcopum, et eod.

145. Quid hic oporteat Episcopum expendere.

146. Perinde est sive unum, sive plura impedimenta occurrant, ex Sanchez.

reper

Probatur.

reperitis duobus; quia mixtum sub simplici non comprehenditur: at cum in hoc casu dicamus posse Episcopum dispensare, quia Pontifex pro tali casu censetur potestatem dispensandi concedere, nihil obest concurrere duo impedimenta: sicut nemo negaret, posse Episcopum absolvere omnino impeditum iure Romam a duplici casu reservato.

Confirmatur.

Et confirmatur (inquit Sanchez sup.) quia potestas Episcopi in hoc eventu non est ad dispensandum in quodam singulari impedimento, ut sic dicamus, mixtum sub simplici non comprehenditur, sed ad dispensandum in impedimentis.

147.  
Quid sentiat de hac doctrina Averfa.

Atque hanc doctrinam admittit Averfa sup. §. Quarto, quando occurreret casus in eodem genere impedimenti affinitatis ex copula illicita, utpote si mulier cognita fuerit a pluribus consanguineis viri intra primum vel secundum gradum. Sed (inquit) quoad reliqua impedimenta, difficile est occurrere aliud, quod tuto manifestari non possit, & idem facilius erit expectare, donec sub unius prætextu obtineatur dispensatio utriusque.

Dico ego: sive facile sit, sive difficile, ut occurrat aliud, quod tuto manifestari non possit, si revera occurrerit unum vel plura, eadem ratione poterit Episcopus in illis pluribus dispensare, sicut in uno tantum.

148.  
Quid si Matr. contractum fuerit in gradibus prohibitis malâ fide? Quidam negant, Episcopum posse dispensare, per Trid. ss. 24. de Matr. c. 5.

Majorem difficultatem habet; an valeat Episcopus dispensare, quando Matrimonium contractum fuit in gradibus prohibitis, malâ fide ex parte utriusque, vel etiam unius. Quidam sustinent partem negativam, propter Trident. sess. 24. de Reform. Matr. c. 5. quod sic incipit: *si quis intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere præsumperit, separetur, & spe dispensationis consequenda careat, idq; in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subiciatur pœnis. Non enim dignus est, qui Ecclesia benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta contempserit.*

Probatur ex ratione. Sanchez.

Et ratio (inquit Sanchez sup. n. 4.) est, quia hæc sententia innitur manifestæ æquitati, quæ suadet, mentem Legislatotis non esse, ut in eodem Episcopus nequeat dispensare: sed quando Matrimonium est malâ fide contractum, mens Pontificis non est iniquitati favere, & perversæ contrahentium audaciæ, & ut illa sit facilitatis dispensationis occasio, ne quotidie hæc spe celebrarentur Matrimonia, contemptis impedimentis dirimentibus: quam rationem mirè exposuit Trid. eo cap. 5. in illis verbis, *desumptus est &c.* Cum ergo Trid. in hoc casu, hos malâ fide contrahentes spe dispensationis consequendæ perpetuo carere debere statuatur, minime poteri Episcopus dispensare.

149.  
Idem dicendum si solemnitates fuerint neglectæ.

Unde idem dicendum est, quâmvīs ignoranter contractum sit Matrimonium, si solemnitates requisitæ in Matrimonio, neglectæ sint: quia idem in hoc casu decernit ibi Tridenti-

num. Secus autem esset, si ignoranter contractum sit Matrimonium, & ex Ordinarii licentia solemnitates illæ denuntiationum omissæ sint, quia tunc non negliguntur, nec temerè contemnuntur, quod petit Concilium, ut contrahentes illi spe dispensationis careant, Hucusque Sanchez.

Qui tamen putat, Episcopum posse dispensare, quando alter solus ex contrahentibus malâ fide contraxit. Quia (inquit) Trid. d. cap. 5. vocat hanc pœnam, ibi: *Eisdem subiciatur pœnis: non autem æquum est puniri innocentem ob alterius delictum.* Sic tenet P. Ioseph de Acoſta lib. 6. de Convers. Indorum c. 22. & quidam viri docti neotherici. Ita Sanchez.

Sed communior sententia docet, sufficere malam fidem, etiam unius. Ad argumentum autem Sanchez respondet Garcia sup. n. 359. dicta verba Concilii in uno sic contrahente verificari, cum dicat: *si quis &c.* & ob delictum & pœnam unius, alterum non pœnam, sed damnum in consequentiam sustinere, quod iniustum non est. Hæc ille.

Atque ut sub verbis Concilii uterque conjux simul & conjunctim comprehenderetur: saltem (inquit Averfa sup. §. Sextid.) obstat ratio: quia illa pars, quæ conscientia impedimenti contraxit, sese voluntariè in has angustias & pericula subjecit; quare debet quoque tolerare jacturam famæ, aut aliud incommodum, detegendo impedimentum alteri parti, curando tamen id fieri cautiore modo quo possit. Et præcipue apparet, quod ejus potius interest Matrimonium validari per dispensationis impetrationem, quam alterius partis, quæ fortè cognito impedimento libentius discindet, quam confirmabit Matrimonium; quare justum est, ut illa pars subeat pœnam, quæ fortalset alteri parti non erit pœna, sed res grata. Sic ille.

At verò Pontius, qui sequitur sententiam Sanchez, hanc pro ea adducit rationem. Quia ex Trid. Decreto non colligitur unius tantum malam fidem sufficere, ut spe dispensationis careat; & aliàs ex jure communi, juxta textum in cap. *Cum inhibito*, de Cland. depons. & cap. *Ex tenore*, Qui filii sint legitimi, unius bona fides sufficit, ut proles nascatur legitima, & ut tale Matrimonium reputetur ab Ecclesia. Ita Basil. lib. 8. c. 13. n. 4.

Respondetur: Ecclesiam id expressè statuisse in dd. juribus favore prolium, qui hic non habet locum. Ecce verba d. cap. *Cum inhibito*: *Pari modo proles illegitima censetur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesia contrahere præsumserunt.*

Ubi Gloss. verb. *si ambo parentes*, interrogat: *Sed quid, si unus scit & alter nescit?* dixit Hug. & Laur. quod quantum ad scientem, sine illegitimi, quantum ad ignorantem, legitimi, arg. Cod. de Incestis nupt. Qui contra; quod non credo: imò illegitimi sunt, infr. Qui filij sint legitimi

An sufficiat mala fides unius? Negat Sanchez.

150.  
Communior sententia affirmat. Solvitur arg. Sanchez ex Garcia.

Alia solutio ex Averfa.

151.  
Pontius sequitur opinionem Sanchez & probat eam.

152.  
Ostenditur quod inefficax.

gitimi : Ex tenore. Monstrum enim esset, si aliquis esset partim legitimus & partim illegitimus ; sicuti quod aliquis esset partim servus, & partim liber, ff. de Statu lib. Si duobus, & hoc innuitur cum dicit: Ambo parentes.

Porro in d. cap. Ex tenore, in fine, scriptum habes : In favorem prolis potius declinamus, memoratum R. legitimum reputantes. Ubi Gloss. in expositione casus in fine : Nota, inquit, quod ignorantia alterius parentis facit, quod filii, de tali Matrimonio nati, legitimi sunt & favor prolis ad hoc coadjuvat.

Cæterum hæc controversia cessat, si in casu nostro neutrius parentis bona fides sit necessaria, quod indicat Henriquez lib. 12. de Matr. cap. 3. n. 2. Commento lit. K. & lit. O. nec aliâ ducitur ratione, quàm quia alii Auctores Angel. Sylvester &c. dum conditiones ad hanc dispensationem explicant, bonæ fidei non meminerunt. Interim ipse in textu d. n. 2. dicit : Expedit ut Matrimonium bonâ fide, saltem alterius, contractum sit, cum ignorantia impediementi occulti : nam qui sub ea intentionis fraude, aut spe Episcopi dispensaturi, malâ aut dubiâ fide contraherent, indigni censentur gratiâ dispensationis, nec deberet Episcopus cum illis dispensare. Sic Henriquez.

Præpositus autem hic q. 8. dub. 2. n. 12. Hæc (inquit) sententia videtur verior, communiter loquendo : sententia tamen Henriquez (quam habet in Commento) videtur probabilis in casu aliquo valde raro : nam quando valde magni referret ad bonum publicum conservandum, vel ad impediendas discordias inter illustres familias, Matrimonium aliquod non solvi, Episcopus posset dispensare in impedimento, etiam cum iis, qui malâ fide cum illo contraxerunt.

Confirmatur ex eo, quod Sanchez disp. cit. n. 7. doceat, Episcopum posse ex urgentissima causâ dispensare, etiam ante Matrimonium contractum.

Quàmvis ergò in nostro casu conjuges sint indigni dispensatione ; quia tamen bonum commune id postulat, Pontifex videtur tacite consentire, ut Episcopus possit dispensare. Hæc ille.

Sed Dicastillo sup. n. 66. generalius loquitur, dicens : Non possum mihi persuadere, voluisse Concil. aut Pontifices, qui illud confirmarunt, hanc reservationem locum habere in iis casibus, in quibus diximus posse Episcopum dispensare, propter gravissima damna & inconvenientia scandali peccatorum, & impotentiam adeundi Pontificem ; nam tota ratio, ob quam pro tali casu dicimus posse Episcopum in foro conscientie dispensare, est ; quia si non posset, reservatio cederet in destructionem animarum, & non est credendum, Pontificem cum damno & periculo animarum velle pro tali casu & circumstantiis reservare, cum licita non esset reservatio, quidquid sit de valore : atqui etiam fieri potest, ut quàmvis malâ fide contractum sit Matrimonium, sequantur eadem damna &

Bosco de Matrim. Pars II.

pericula animarum, & sit eadem moralis impotentia adeundi Pontificem, idemque periculum in mora : ergò eodem modo credendum est, non esse mentem Pontificis, quòd Episcopus pro tali casu non possit. Ita Dicast.

Consentio ego, fieri posse, ut sequantur eadem damna & pericula animarum, quamquam rariùs, ut patet consideranti ; cum enim uterque conficius sit nullitatis Matrimonii, possunt faciliùs abstinere aut secedere, donec obrineatur dispensatio à Pontifice : estò, inquam, sequantur eadem damna, adhuc disparitas est ; quòd ipsi contrahentes se suâ culpâ in illam necessitatem & periculum injecerint, & idè sibi impudent ; atque adè non videntur mereri illam gratiam seu benignitatem Ecclesie, quam Pontifex concedit istis, qui bonâ fide sic contraxerunt : ergò non eodem modo credendum videtur, esse mentem Pontificis, quòd Episcopus pro tali casu possit dispensare.

Sed audiamus, quid Dicast. respondeat ad Trident. sup. n. 67. Loquitur (inquit) pro foro exteriori, in quo, si semel constet de prædicto impedimento, præcaveri poterunt reliqua damna, & separari conjuges. Quòd si in eo casu sequantur scandala, & alia incommoda, tunc non sequuntur ex ipsa separatione illorum, & ex negatione dispensationis, & spei illius obtinendæ ; sed ex ipsa notoritate, vel probatione externa commissi delicti. In quo casu majora inconvenientia sequerentur ex eo quòd permitterentur non separari, aut ex facilitate dispensandi cum illis, quàm ex ipsa separatione & negatione dispensationis ; imò hoc deserviret ad tollendum scandalum. In casu autem, quo delictum est omninò occultum, & tantum agitur de foro conscientie ; si in eo foro sit periculum in mora expectandi Pontificis dispensationem, vel sit moraliter impossibilis aditus ad illum, & scandalum in separatione, longè alia ratio est.

Unde, quando Concil. dixit : Non enim dignus est, qui Ecclesia benignitatem facile experiatur &c. tantum intelligendum est pro casu, quo ex mera benignitate concedenda esset dispensatio. Pro nostro autem casu dispensatio concedenda est, non ex mera benignitate ; sed ex obligatione, quam habet Superior providendi bono animarum, & avertendi præcavendique peccata subditorum, & scandala. Quæ omnia, ut supponit noster casus, moraliter præcaveri non possunt, nisi dispensatio concedatur, & Matrimonium legitimè fiat.

Atque ex his patet ad fundamentum Adversariorum, & Trid. locum, quem pro se adferunt, scilicet, etiam necessitatem postulare, ut Episcopus in tali casu possit dispensare, ut vitentur damna & incommoda prædicta : Concilium verò tunc tantum negat, debere Ecclesiam æquitatem exhibere erga prædictos, qui sic contraxerunt, quando ea damna & scandala auferri possunt aliâ viâ ; vel quando non sequantur ex ipsa separatione, quæ fieri debet ; nempe quando alioquin in foro externo notum, probatum, aut probabile sit tale impedimentum di-

Qgg 2 nimens.

156.  
Iudicium  
Auctoris.

157.  
Resp. Dic-  
cast. ad  
Trid. ipsum  
loqui pro fo-  
ro externo.

158.  
Et in casu  
quo ex mera  
benignitate  
Ecclesia dis-  
pensatur.

153.  
Aliqui pu-  
tant neu-  
trius paren-  
tis bonam  
fidem esse  
necessa-  
riam.  
Henri-  
quez.

154.  
Hanc sen-  
tentiam ap-  
probans Præ-  
positus in  
raro aliquo  
casu.

Confirma-  
tur.

155.  
Dicast. ge-  
neraliter lo-  
quitur.

rimens. Hucusque Dicastillo.

159.  
*Dicast. per-  
peram pro  
se citat Prae-  
pos.*

Qui perperam pro se citat Præpositum; Hic enim, ut vidimus, solum docet id probabile esse, quando aliàs periclitaretur bonum commune, aut illustrium familiarum; cum tamen Dicast. generaliter loquatur de omni damno & periculo, etiam privatorum. Interim, si in uno casu, cur non etiam in alio? Rationem disparitatis non invenio apud Præpositum. Et si hæc distinctio admittenda est, quando malâ fide contraxerunt, cur non, etiam quando bonâ fide contractum fuit?

*An hic suffi-  
ciant necessi-  
tas privata?  
Negat Gar-  
cia.*

Herculè eandem distinctionem tunc facit Garcia sup. n. 347. dicens: Nec obstat ratio primæ sententiæ: nam illa doctrina, quod Episcopi possint dispensare etiam contra jus Concilij ex magna causa necessitatis, quando Superior consuli non potest, intelligitur ex magna causa necessitatis non particularis seu privatæ, sed publicæ & communis seu Ecclesiæ; tunc enim ratio boni communis id exposcit: nec de necessitate particulari & privata est habenda ratio, cum lex in communi feratur.

160.  
*Probandum.*

Et quod intelligenda sit de necessitate publica, constat: nam DD. eodem modo loquuntur de magna causa utilitatis, quæ necessariò in proposito intelligenda est de utilitate publica & non privata.

*Confirmatur.*

Et si intelligeretur de necessitate particulari, posset aliquando Episcopus dispensare in prædictis impedimentis, etiam ante contractum Matrimonium: nam etiam tunc posset aliquando occurrere talis necessitas, & tamen tunc nullus scriptor id admittit, præter Tho. Sanchez sup. n. 7. quamvis sciam, Nuntium Hispaniæ semel dispensasse ante contractum Matrimonium in impedimento primi gradus affinitatis ex copula fornicaria, de consilio aliquorum Theologorum. Haftenus Garcia.

161.  
*Oppugnatur.*

Reverà major ratio est dispensandi, quando periclitatur bonum commune, propter quod lex lata fuit, quàm in periculo boni tantum privati seu particularis; sed probandum manet, hoc periculum non posse esse causam sufficientem, sive in uno, sive in alio casu, hoc est, seu bonâ fide, seu malâ contractum fuerit Matrimonium. An putas, quia Pontifex non posset dispensare in Matrimonio malâ fide contracto, propter privata damna evitanda & scandala? Imò teneretur, quando aliâ viâ non possunt evitari, & dispensatio non vergit in detrimentum boni communis. Quamquam enim lex feratur propter bonum commune; non sic tamen, quin possit tolli sive in generali, sive in particulari, propter bonum privatum; nisi fortè esset bonum commune necessarium, & sublatio legis ejus destructivum.

162.  
*Pontifex po-  
test dispen-  
sare ob bo-  
num priva-  
tum.*

Et verò cui loquitur d. Decretum Trid. An fortè Episcopis? Imò soli Pontifici, ut sup. dictum fuit; si ergò ipse posset dispensare, non obstante malâ fide contrahentium, quàmvis non facilè debeat: quid ni & Episcopus, quando ad Pontificem non est recursus, & causæ tales sunt, ut propter eas Pontifex dispensa-

ret, si ad eum posset recurri & recurreretur? Unde consultò dixit Concilium: *Non enim dignus est, qui Ecclesia benignitatem facilè experiatur,* significans per ly *Facilè*, aliquando, non obstante malâ fide, à Pontifice posse dispensari; ergò etiam ab Episcopo, quando Pontifex adiri non potest.

Nota etiam; quòd Decretum istud solum intelligitur, secundum plurimos DD. de solo impedimento consanguinitatis & affinitatis. Quid si ergò esset impedimentum criminis, v. g. occisio propriæ uxoris, aut proprii viri?

Respondet Præpositus sup. n. 14. Inde posse colligi, Pontificem in alijs non censerit tacite consentire in dispensationem, factam ab inferioribus, quando conjuges malâ fide contraxerunt, spe futuræ dispensationis. Sic ille.

163.  
*Resp. Pre-  
positi.*

Sed sine fundamento restringit potestatem dispensandi, quæ favorabilis est, ad casum non expressum, & à casu, qui frequenter occurrit, ad casum non ita frequentem. Atque ut Decretum intelligeretur de omni impedimento, non debet magis coarctari potestas Episcopi, quàm Pontificis; cum loquatur, ut dictum est, Pontifici, & non Episcopo.

Dico igitur, Episcopum posse dispensare in eo casu, in quo propter damna & scandala immunitia posset & deberet dispensare Pontifex, non obstante eo Decreto, si ad eum recurreretur; posse, inquam, dispensare, si recursus sit moraliter impossibilis. Sic ego sentio, quousque sedes Apostolica clariùs suam mentem expresserit, quàm in præfato Decreto. Neque distingo inter Matrimonium contractum & contrahendum, ut patet ex ultima parte Conclus. *Etiam ante Matrimonium contractum*, de qua statim latius.

*Episcopus  
potest dis-  
pensare in eo  
casu, in quo  
posset Papa,  
non obstante  
eo Decreto.*

Priùs respondeo ad quæstionem: Ecquæ est mala fides hic? Respondeo, inquam ex Sanchio lib. 2. disp. 40. n. 4. non satis esse scientiam speculativam, quâ conjux novit, se accessisse ad consanguineam ejus, cum qua contrahere vult Matrimonium, nisi jungatur scientiâ practicâ, quâ sciat, inde oriri impedimentum ad Matrimonium contrahendum.

164.  
*Quæ hic sit  
mala fides,  
ex Sanchio.*

Nec excludetur hæc bona fides, quàmvis procedat ex latâ culpa, & ignorantia culpabili. Nam Trid. d. c. 5. petit, ut scienter præsumatur, ut patet ex verbis sup. relatis; dum autem Decretum aliquod petit, scienter aliquid fieri, excusat ignorantia quantumcumque crassa, & lata culpa; quia verè non dicitur scienter facere, qui ex ignorantia crassa facit, sed dolus requiritur. Undè solum excludetur hæc bona fides, quando ignorantia esset adeò crassa, ut esset ingens temeritas; tunc enim æquiparetur dolo. Ita Sanchez, & Alii communiter. Nec est fatan, aut occurfus malus.

Progrediar ergò ad ultimam partem Conclus. quam tradit Sanchez sup. n. 7. hisce verbis: Et ausim dicere, nullius Auctoris patrocinio fretus, posse Episcopum dispensare aliquando in impedimento Matrimonium dirimenti; antequam Matrimonium contrahatur, quando urgentissima necessitas id postularat. Exemplum sit;

165.  
*Exemplum  
ultima par-  
tis Conclus.  
ex eod.*

fit; accedit mulier manè factura, & reperitur habens impedimentum dirimens, cujus detectio infamiam notabilem produceret, & sunt omnia jam parata ad nuptias vespere celebrandas, & tentatis omnibus medijs, nulla evadendi via aperitur; sed suspicio vehemens oritur alicujus criminis detecti in Confessione, si foemina abstinere velit à nuptiis, aut differre, dum Pontificia dispensatio obtinetur.

Dixi: *Tentatis omnibus medijs*: quia si aliqua evadendi via commodè reperitur, nullo modo poterit Episcopus: & fortassis hæc esse posset via, si foemina voveret castitatem ad tempus, v. g. per mensem, consulente Confessario, & dicat consanguineis, se voto castitatis alligatam esse, justumque sibi esse à Confessario, ut à nuptiis abstinere, donec voti dispensatio impetretur à Pontifice (tacere enim debet, votum fuisse ad tempus, ne Episcopi dispensatio petatur) & dum pro illa dispensatione obtinenda Romam mittitur, potest occultè dispensatio veri impedimenti obtineri. Sic ille.

166. Conjonctas Averfa.

Et verò (inquit Averfa sup. §. septimo) oporteret hoc remedio uti, etiamsi eilet ab Episcopo petenda dispensatio, si Episcopus distet aliquo itineris spatio ab eo oppido, in quo sponsi parati erant contrahere, aut etiam in eadem civitate, si sponsi cum comitatu adierant Ecclesiam, vel vocaverant Parochum in suam domum ut contraherent, ubi non adsit tunc præfens Episcopus. Ita præfatus Auctor.

Aliud exemplum ex Pontio.

Pontius autem sup. n. 6. ubi amplectitur sententiam Sanchez, aliud ponit exemplum, dicens: Ut si quis morti proximus, ad legitimandos liberos, vel restaurandum honorem, vel pro bono pacis, deberet citò contrahere.

167. Non placet Averfa.

Verùm (inquit Averfa sup.) si impedimentum erat occultum, hæc non habent locum. Si erat notum, non debet ad id extendi potestas Episcopi, maxime pro foro externo. Itaque vix potest occurrere casus, in quo antè contractum Matrimonium, possit Episcopus dispensare. Sic ille.

Averfam oppugnat Dicaft.

Quem oppugnat Dicaft. sup. n. 56. ibi: In casu occulto, falsò negat Averfa, quòd damna non sequantur. Attende quæso; an proles, quæ ob vitium occultum non fuisset reverà legitima, quia defuit dispensatio, justè succederet parentibus, aut aliis, sive ab intestato, sive ex testamento; præsertim, si id tandem evidenter constaret? An si aliqui quidem sciant impedimenta, licet non tot, quot sufficiunt, ut res censetur publicæ & notoria, non posset decursu temporis res propalari, & inde sequi multa mala? An non etiam inter illos paucos, qui sciunt, possint esse aliqui, qui rem vehementer sentirent, & possent ab illis, & ab aliis, quibus id communicarent, timeri scandala, rixæ, inimicitæ & similia? Itaque hodie est satis recepta & tuta, & ipsis etiam Pontificibus nota, sententia prædicta affirmans. Hactenus Dicaftillo.

168. Sed responderi posset pro Averfa; ipsum hæc omnia bene attendisse, & ideo non dixisse,

nunquam posse occurrere casum, in quo antè contractum Matrimonium possit Episcopus dispensare; sed vix posse occurrere, quia vix occurrunt omnes illæ circumstantiæ. Si tamen occurrerent, Averfa inclinatur in sententiam Sanchii. Pariter enim (inquit) eadem ratio militabit. Et favet textus, sup. allatus de impedimento ætatis. Unde potest sumi argumentum ad alia impedimenta, occurrente simili necessitate. Sic ille.

Sed hoc ego non puto esse verum; alioquin, etiam quando impedimenta alia sunt publica, posset Episcopus simili necessitate occurrente in eis dispensare, etiam pro foro externo, & in casu, quo Pontifex facilè posset adiri. Nam eo casu potest Episcopus dispensare in impedimento ætatis, vi d. textus, si loquatur de Matrimonio..

Ille ergo textus parùm aut nihil favet huic sententiæ, sed potius videtur ei officere, juxtà illud vulgatum; *Exceptio firmat regulam in contrarium*. Si fuit mens Pontificis, ut in simili necessitate Episcopus dispensaret in aliis impedimentis, cur id nusquam expressit, cur solum defectum ætatis exprimit? Vnde nec Sanchez eo argumento utitur. Quo ergo? Impedimentum, inquit, hoc juris humani est, statutum lege Pontificia vel Concilii: sed in hac lege ex magna necessitate potest Episcopus dispensare.

Probat secundò; argumento à simili: quia votum simplex castitatis, jure divino impedit Matrimonium contrahendum, & communi Ecclesiæ consuetudine (ut omnia privilegia dispensandi in votis, quæ semper hoc votum excipiunt, testantur) ejus dispensatio Pontifici reservatur: & tamen in casu urgentis necessitatis, quando magnum incontinentiæ periculum urget, nec consuli potest Pontifex ratione paupertatis, aut quia est grave periculum in mora, potest Episcopus dispensare: ergo poterit dispensare in impedimento dirimenti in casu præsentis, ubi urgentior est necessitas.

Nec obstat, si dicas, votum solum impedire, aliud autem impedimentum dirimere: id enim aliud autem impedimentum dirimere: id enim fateor; verùm negari non potest, similiter utrumque impedimentum Pontifici reservari, & impedimentum voti excedere in hoc, quòd juris divini sit.

Tertiò: quia sententia asserens, posse Episcopum dispensare post contractum Matrimonium, illi fundamento innititur, quòd possit Episcopus in lege Papæ aut Concilii dispensare in casu urgentis necessitatis: ergo similiter poterit ante Matrimonium, urgente necessitate: quamvis enim eo semel contracto, frequentius necessitatis casus occurrat: at eum sola prohibitio juris humani in utroque casu resistat, similiter occurrente pari necessitate, poterit antè Matrimonium contractum dispensare.

Tandem: quia non ita levibus fulcitur sententia fundamentis, quin aliquam probabilitatis effigiem habeat: at quando notabile damnum proximi iuginet, licitum est, certà

169. Rejicitur ejus probatio de sumptibus ex c. 2. de sponsa impub.

Prima pro batio Sanchez.

170. Secunda.

Evasio pro 3 claudisur.

171. Tertia pro 3 bmsio.

Mitior.

certâ opinione, eam amplecti, quæ speciem aliquam probabilitatis habeat. Hactenus Sanchius pro sua nova opinione sup. quam nunc passim Recentiores sequuntur.

172. Ego ( inquit aliquis ) parvum habeo scrupulum circa secundam ejus probationem. Quæro autem; an benè sequatur: Episcopus in casu necessitatis potest dispensare in voto simplici perfectæ castitatis, quod est impedimentum juris divini; ergò etiam in lege divina, v. g. in polygamia, quando ea foret omninò necessaria? Non vidi hactenus, qui eam Consequentiam admitteret. Sed quæ ratio negatæ Consequentia, cum utrumque sit impedimentum juris divini, quàmvis unum dirimens, alterum tantùm prohibens? An fortè Deus potest dare legem in destructionem animarum, & non in ædificationem? Si autem non valet argumentum à voto ad legem divinam; cur valeat à voto ad legem humanam?

Defenditur. Quia, inquis, votum majus est, & strictius ligat, utpote juris divini; jam autem Reg. 53. de Reg. juris in 6. ait: Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.

173. Sed hæc regula intelligitur, quando majus & minus subordinata sunt; vel unum aliud aliquo modo includit, seu ut totum suam partem, sive etiam ut genus suam speciem: & denique nisi diversa ratio sublit in eo, quod est minus. Porro impedimentum dirimens Matrimonium non subordinatur voto, neque unum alterum includit; & diversa ratio subest in eo, quod est minus; siquidem impedimentum est lex communis, votum autem lex solum privata, quam quisque sibi ipsi imponit. Et extrâ dubium est, multos posse dispensare in votis, qui nequeunt dispensare in legibus Pontificiis. Ergò argumentum, petitur ex dispensatione voti, non videtur esse omninò efficax.

174. Alioquin sicut Episcopus potest dispensare in voto, quod solum dubiè est reservatum, cur non etiam in impedimento dubio? Constat Deum concessisse Ecclesiæ suæ potestatem condonandi suo nomine obligationem voti, ex quo autem liquet, dedisse inferiori potestatem dispensandi propriè in lege Superioris. Sanè neque Pontifex id potest in toto orbe, nisi ex speciali Dei concessione; ergò neque Episcopi in suis Episcopatibus, nisi ex speciali concessione Dei, aut Pontificis.

Unde apud me nullius pili est hoc argumentum: Episcopus potest in sua Diocesi, quidquid Pontifex in tota Ecclesia: sed Pontifex potest dispensare in impedimentis dirimentibus in tota Ecclesia; ergò Episcopus in sua diocesi. Nam ratio disparitatis est nimis manifesta; scilicet, quòd impedimenta dirimentia, de quibus hic agimus, non sint leges Superioris respectu Pontificis; secus respectu Episcoporum. Ut ergò aliquid probaret hoc argumentum, minor talis esse deberet. Sed Pontifex dispensat in lege Superioris in tota Ecclesia: quæ constat esse falsa.

175. Optima ergò probatio Conclus. nostræ est

tacita voluntas Pontificis, fundata in summa æquitate, ad evitanda damna & pericula animarum. Quæ voluntas aequaliter colligitur ex dispensatione in votis reservatis. Neque plus Sanchez voluit. Putas, quia Ecclesia non debeat impedire, quando commodè potest, tot actus fornicationis, qui subsequuntur invalidum Matrimonium? Et quod, quæso, incommodum excusans?

Quia autem hæc æquitas non postulat dispensationem in foro externo, idè in Conclus. addita fuit illa particula: Pro foro conscientia. Sic quippè Trident. sess. 24. de Reform. c. 6. ubi, ut sup. vidimus, concedit Episcopis potestatem absolventi à casibus occultis, expressè addit: In foro conscientia.

Atque consimiliter dicta æquitas non videtur exigere, ut quando adest aliquis, qui habet expressam concessionem Pontificis, Episcopus dispense; & idè tali casu negamus, cum communiori sententia, Episcopum posse dispensare cum nulla omninò sit necessitas; sicuti si ipse Pontifex præsens foret, & per seipsum vellet dispensare.

Confirmatur ( inquit Sanchez sup. n. 8. ) quia Sacerdos simplex, quemvis in articulo mortis constitutum absolvere possit, ratione urgentis necessitatis; si tamen ea cesset, quia vel pastor ordinarius, vel ab ipso expositus haberi potest, nequibit absolvere. Sic ille.

Sed ego istâ confirmatione nolo uti; quia Disp. 8. Sect. 2. Conclus. 4. ostendi, satis probabile esse oppositum; scilicet, quòd possit absolvere in præsentia. Quidquid videatur in contrarium dicere Rit. Rom. Tit. de Sacramento Pœnitentiæ circa principium, ibi: Sed si periculum mortis imminet, approbatusq; desit Confessarius, quilibet sacerdos potest à quibuscumque censuris & peccatis absolvere. Ergò quando adest Confessarius approbatus, quilibet Sacerdos non potest absolvere.

Respondeo neg. Consequentiam: quia argumentum à contrario sensu in multis fallit. Statuit ibi Rituale, quod certum est, abstrahens ab eo, quod est controversum, an scilicet etiam finè hac conditione possit id quilibet Sacerdos.

Si dixeris: Disp. 7. Sect. 9. Conclus. 6. n. 144. negatur dicta verba haberi in Rit. Rom. contrà Herinx. Respondeo: planè negatur, sed perperam. Homo sum, humanum nihil à me alienum arbitror: omnis autem homo mendax: omnes erraverunt ab utero, locuti sunt falsa. Fateor igitur, me ibi errasse instar hominis; sed & instar hominis errorem meum volo corrigere, non autem cum diabolo persistere in malo obstinatus.

Appositè dixit Aug. lib. 3. contrà Cresconium c. 3. Sicut laudabile est, à vera sententia non amoveri, ita culpabile persistere in falsa, quam nunquam tenere prima laus est, secunda mutare. Primam laudem non mereor, secundam prorsus habere cupio, & idè d. errorem retracto, & omnes alios, qui fortè in libris meis reperi fuerint.

Optima probatio Conclus. tacita voluntas Pape.

176. Nequis dispense Episcopus quando adest, qui expressam habet concessionem Pontificis. Confirmatio ex Sanchez.

177. Non placet Auctori.

178. Fateor ibi Auctorem se alibi errasse.

S. Aug.

Sed

172. Expenditur 2. probatio.

Defenditur.

173. An efficaciter.

174. Arg. à dispensatione in voto ad dispensationem in impedimento dirimente non valet.

Aliud arg. improbatum.

179. Sed revertamur ad propositum. Nunquid am-  
 missio, quod simplex Sacerdos possit absolvere  
 in præsentia Ordinarii, rectè inferitur, quòd  
 Episcopus possit dispensare in casu proposito,  
 quando adest delegatus Pontificis? Non puto.  
 Disparitas quippe est, prima: quòd de absolu-  
 tione à reservatis in articulo mortis, habeamus  
 expressum jus in Trid., ut sup. vidimus. Secun-  
 da; quòd in fine vitæ agitur de salute æterna,  
 & plena libertate conscientia, quæ postulat, ut  
 sup. dixi, ut moriturus cuilibet possit confiteri,  
 ne pereat, quæ hic non habent locum.

Qui hic  
 habent ex-  
 pressam  
 concessionem  
 Papa, ex  
 adversa.

Si autem à me quæritur: quinam habeant  
 expressam concessionem Pontificis dispensandi  
 in impedimentis. Solet à Pontifice concedi (in-  
 quit Averfa sup. §. Decimo) suis Legatis in  
 Provinciis Italiae & Nuntiis extra Italiam, fa-  
 cultas dispensandi in impedimento publicæ ho-  
 nestatis. Et in omni casu, quo ob urgentem  
 necessitatem potest Episcopus dispensare, sine  
 dubio potest etiam Legatus: quia ex communi  
 regula, quicquid potest Episcopus in sua Dice-  
 cesi, potest etiam Legatus in sua Provincia.

Quid ve-  
 quiratur, ut  
 Commiss.  
 Cruciatæ  
 possit dispen-  
 sare, ex eod.

Item: Commissarius Cruciatæ habet ex dele-  
 gatione Pontificis facultatem dispensandi in fo-  
 ro conscientia in impedimento occulto affini-  
 tatis, ortæ ex copula illicita, quando invenit  
 contractum fuisse Matrimonium bonâ fide, sal-  
 tem ex parte alterutrius conjugis. Sic ille.

180. Addit Sanchez lib. 8. disp. 6. n. 23 & con-  
 tractum fuisse, servatâ formâ Trid. sess. 24. de  
 reform. Matr. c. 1. scilicet, coram Parocho &  
 testibus, præmissis denuntiationibus. Idque hæc  
 lege, ut conjux, qui ignoravit impedimentum,  
 certior fiat de prioris consensû nullitate, quàm-  
 vis ei non declaretur causa nullitatis, ut eviten-  
 tur scandala.

Facultas  
 Commiss.  
 quoad ali-  
 quid est  
 amplior  
 potestate  
 Episcopo  
 rnm.

Hinc deducitur (inquit idem Auctor n. 24.)  
 facultatem hanc Commissarii ad dispensandum,  
 esse quodammodo ampliorem eâ, quæ concedi-  
 tur Episcopis ratione urgentis necessitatis, &  
 quodammodo strictiorem. Est enim amplior  
 quoad hoc; quia Episcopus nequit dispensare,  
 quoties est recursus ad Pontificem, imo ad ha-  
 bentem ab eo facultatem dispensandi. At Com-  
 missarius potest, licet Pontifex esset præsens.  
 Quia hæc limitatio in ejus concessione non ad-  
 hibetur.

181. Est autem strictior quoad hoc, quòd Com-  
 missarius in solo impedimento affinitatis ex co-  
 pula fornicaria potest dispensare, & nunquam  
 antè Matrimonium initum, & conjuge altero  
 certiore facto de prioris nullitate consensû. At  
 Episcopus potest in omnibus impedimentis jure  
 Pontificio dirimentibus, & aliquando antè ini-  
 tum Matrimonium. Nec est usquequaque cer-  
 tum, desiderari, alterum conjugem certiore  
 fieri de prioris Matrimonij nullitate. Hæc ille.

Qui ibidem & n. 25. ac seqq. tractat de po-  
 testate, quam habet d. Commissarius legiti-  
 mandi prolem, scilicet quoad omnes Ordines,  
 & quævis beneficia; secus quoad bona tempo-  
 ralia. Et putat hanc legitimationem non valere,  
 nisi prius dispenset in Matrimonio, & Matri-

monium ineatur. Quòd si dispensasset, & non  
 legitimasset, posset alius subsequens Commissa-  
 rius legitimare, subsecuto inter parentes vero  
 Matrimonio.

Quantum ad Illustrissimos Dominos Nuntios  
 Apostolicos, de quibus sup. mentio facta  
 fuit, præter potestatem, quam habent commu-  
 nem cum Episcopis, consuevère (inquit Gob-  
 bat sup. n. 587.) Summi Pontifices facere ip-  
 sis jus dispensandi gratis cum quibuscumq; perso-  
 nis, intra sua Legationis limites existentibus, qua  
 quarto, aut etiam tertio & quarto, etiam multiplici-  
 bus consanguinitatis vel affinitatis gradibus conjun-  
 ctæ, seu se attinentes, scienter vel ignoranter con-  
 junctæ sunt, vel alias se, non tamen sub spe facilitatis  
 habenda dispensationis à Sede Apostolica, carnaliter  
 cognoverunt; nec non cum aliis quibuscumque si-  
 milibus gradibus conjunctis vel se attinentibus, qui  
 propter angustiam loci, aut ad sedandas inimicitias,  
 vel ob dotem minus competentem, aut alias ob ratio-  
 nabiles causas, Matrimonium invicem contrahere  
 voluerint.

Hæc sunt verba formalia cujusdam Brevis,  
 datæ ab Innoc. X. ad quemdam Illustrissimum  
 Dominum Nuntium Apostolicum, quibus tam-  
 en præmittitur clausula de iis, qui ob eorum  
 paupertatem & itineris incommoda ad Romanam  
 Curiam pro dispensatione impetranda accedere, vel  
 mittere non possunt. Ita Gobatius.

Et prosequitur: Præter hanc communem fa-  
 cultatem conceditur quibusdam Illust. Dominis  
 Nuntiis alia specialis circa impedimentum pu-  
 blicæ honestatis, proveniens ex sponsalibus, &  
 cognationis spiritualis inter levantem & leva-  
 tum; non autem inter baptizantem & baptiza-  
 tum, sicuti exprimitur disertè in Indiculo spe-  
 cialium facultatum, imperitarum Illust. Do-  
 mino Frederico Borromæo ad Helvetios &c. A-  
 postolico Nuntio, quem penes me habeo, qui-  
 que insuper continet potestatem dispensandi in  
 tertio & quarto gradu consanguinitatis & affi-  
 nitatis simplici & mixto; cum pauperibus in-  
 carceratisque, & cum hæreticis (convertis) in  
 secundo simplici & mixto; item super impe-  
 dimentum criminis, neutro tamen conjuge ma-  
 chinante; quinimò conceditur etiam potestas  
 dispensandi in tertio gradu, tum simplici, tum  
 etiam geminato. Hucusque Gobatius.

Rogat aliquis; an quod Episcopus potest per  
 se facere, etiam alteri possit delegare? Respon-  
 deo: posse totum per alium, quod potestate  
 ordinariâ potest per se: sed potestas dispensandi  
 in casu necessitatis est quodammodo ordinariâ,  
 utpote competens non personæ, sed perpetuò di-  
 gnitati seu officio Episcopali; ergo eam potest  
 alteri delegare sive generaliter, sive in casu par-  
 ticulari: neque enim hæc res tanti momenti est,  
 ut per alium non possit expediri; qualis est po-  
 testas conferendi beneficia, quam soli Vicario  
 suo generali potest Episcopus delegare, ut docet  
 Gloss. cap. Deliberatione, 4. de Legat. in 6.  
 verb. Cuiusque, in fine: Licet Episcopus possit  
 generaliter tradere potestatem Officiali vel Vicario  
 suo conferendi beneficia vacatura, sup. eod. lib. de  
 Offic.

182.  
 Potestas  
 quam habet  
 Nuntius  
 Apostolicus,  
 ex Gobat.

183.  
 Alia specia-  
 lis facultas.

184.  
 An Episcopus  
 possit suam  
 facultatem  
 delegare.

Offic. Vicarii, c. ult. non tamen alium, quam Officiale constituitur.

185. Nec obstat cap. 43. de Offic. Deleg. §. ult. Obiectio ex sequentis tenoris: Caterum (salva Legatorum Sedis Apostolica auctoritate) nulli, cui commissum fuerit predicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel iungere penitentias, liceat hac de cetero aliis demandare.

Solvitur ex eod. cap. Non obstat, inquam; nam pro ratione adiungitur: Quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte. Unde Gloss. verb. Commissum, ait: Isti enim, quibus hæc, quæ sequuntur expedienda committuntur, meri executores sunt, ad certos articulos expediendos, & nullam habent iurisditionem.

Et verò Episcopus in casu nostro merus executor est, & nullam habet iurisditionem? Clarret, quod non; arg. cap. ult. de Offic. Ordinarij, quod sic sonat: His quibus ex officio in certis casibus competit illos absolvere, qui pro violenta manu iniectione, incidunt in canonem sententia promulgata, licet aliis huiusmodi absolutionem committere, cum viderint expedire.

Ubi Gloss. verb. Casibus, inquit: Non dicitur illud certum ministerium, cum illud sibi competat ratione dignitatis, cui concessum fuit privilegium perpetuum. Et in fine ait: Intelligo in omnibus aliis excommunicationibus, quod illi, qui ordinario iure, vel delegato à Principe, possunt absolvere, possunt committere vices suas, cum viderint expedire, dummodo delegatus habeat iurisditionem. Si autem Episcopus habet iurisditionem, & non est merus executor, quando absolvit excommunicatum, ratione urgentis necessitatis; quid ni etiam eam habeat, quando dispensat, propter eandem necessitatem, in impedimentis Matrimonij?

187. Dices Trid. sess. 24. c. 6. de refor. ubi concedit Episcopis casus Pontificis occultos, explicat: Per seipso, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum. Ergo clarè denotat, non posse delegare, ubi non committitur Episcopis potestas delegandi.

Explicatur Concil. Respondetur: Trid. intelligendum esse, ut velit, Vicarium Episcopi non habere ex generali commissione Vicariatus hos casus, nisi sibi specialiter committantur; non autem, ut velit negare Episcopo potestatem generaliter delegandi.

188. Et probatur hic intellectus (inquit Sanchez lib. 2. Disp. 48. n. 17.) quia Multi dicunt, casum hæresis in eo Decreto Episcopo concessum, posse eos delegare Vicario specialiter deputato, & tamen aliquid amplius exigit Concilium in hoc casu; siquidem in eo dicit, per se & non per Vicarium: ergo in reliquis casibus non petit Concilium specialem delegationem.

Unde infero, idem dicendum esse in impedimento dirimenti Matrimonium occulto, & reliquis casibus, qui ratione necessitatis urgentis sibi competunt; potest enim hos casus Episcopus generaliter delegare, cum sit iurisdictio ordinaria. Hæc ille.

189. Sinè qua utique delegatione generali ad omnes casus, aut certè speciali ad particularem casum, Vicarius nihil potest, ut dictum est, & docet ibidem Sanchez n. 12. cum Gloss. cap. Quæ de causa, 2. q. 5. verb. Quidquid, ibi: Item est hic arg. quod generalimandato dispensatio delegatur. Arg. eod. contra, extra de Offic. Legati. Quòd translationem; cum enim dispensatio habeatur instar restitutionis in integrum, & restitutio in integrum non delegatur per generale mandatum, ut ff. de Minor. Illud; ergo nec dispensatio. Io. Ego dico, quod Legatus Domini Pape generalis omnia potest, nisi ea sola, quæ Romano Pontifici sunt reservata, extra de Sentent. excom. Nuper, de Offic. Legati, Quòd translationem, B.

Sicut autem hæc potestas non competit Vicario ex generali commissione Vicariatus, ita quoque juxta Sanchium sup. n. 9. non competit iis, qui habent privilegium dispensandi in casibus Episcopalis, etiam matrimonialibus; quia hi non dicuntur casus Episcopales, sed verè ad Pontificem pertinent, & ex quadam juris interpretatione Episcopo censentur permitti.

190. Sed nunquid etiam neganda est capitulo, Sede vacante? Hanc questionem non movet Sanchez in terminis; equidem ex his, quæ docet lib. 8. disp. 3. n. 10. putà, facultatem concessam Episcopis à Trid. sess. 24. de refor. c. 6. ad absolvendum & dispensandum circa casus occultos, transire in Capitulum Sede vacante; ex hac, inquam, doctrina, consequenter videtur dicendum, hanc potestatem dispensandi in impedimentis occultis, ratione urgentis necessitatis, eadem ratione transire in Capitulum Sede vacante. Quippè ratio prioris est; quòd potestas concessa ibi à Trid. sit ordinata, utpote competens non personæ, sed dignitati perpetuò vel officio. Sed secundum Sanchium, etiam potestas dispensandi in impedimentis est ordinata, ut sup. audivimus; ergo & ipsa transit in Capitulum Sede vacante.

Et quia Disp. 8. Sect. 5. Conclus. 1. dixi, priorem facultatem transire, idem hic assero de secunda; donec aliquis ostenderit rationem disparitatis. Certè neque hic, neque ibi eligitur industria personæ; quia, ut notat Sanchez lib. 2. disp. 40. n. 17. quoties aliquid conceditur Prælati præsentibus & futuris in perpetuum, non potest dici electam esse industriam personæ, cum personæ incognitæ delegetur, & aliàs nec generaliter, nec specialiter possit Episcopus delegare, quod constat esse falsum.

191. Cæterum si à me quaeritur: an aliqui Religiosi, præsertim Mendicantes, habeant privilegium dispensandi in aliquo impedimento dirimente Matrimonium. Adverte (inquit Bruno Chassaing de Privil. Regul. tract. 5. cap. 5. propos. 3. in fine) Rossensem, virum magnæ sanctitatis & doctrinæ, qui pro fide Catholica gladiis impiorum occubuit, in libello, qui inscribitur, de Causa Matrimonij, in principio affirmare, Leonem X Augustinianis per totum orbem existentibus concessisse per Bullam, ut cum his, qui in primo gradu affinitatis scienter vel simiant.

vel ignoranter contraxerunt, modò notorium id non fuerit, neque in iudicio productum, dispensare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem item Matrimonio contracto maneat, prole etiam legitimà. Hæc Roffensis. De quo privilegio non auderem dubitare, propter viri eminentis sanctitatis & doctrinæ testimonium.

Nec obstat 1. quòd non sit in usu; quoniam, præterquam quòd non constet de hoc non usu, cum versetur circa occulta, quæ solis Confessario & Pœnitenti sunt nota, probavimus in Tract. de Privil. in communi, privilegia non amitti per non usum.

Nec obstat 2. quòd Episcopi eâ facultate careant; cum constet, Regulares privilegiis aliis quibus potiri, quibus Episcopi minime gaudent, ut in casu percussiois Clerici, & aliis. Sic Bruno.

Atque pro eodem retulit (inquit Bonagratia Sum. verb. Matr. n. 288.) Bassæus verb. Matrimonium, 9. n. 4. etiam Veracruz 2. part. Speculi c. 27. Omisit autem totum in editione altera Antverpiensi 1643. quòd demum repositum est in novissima Veneta 1655. cum remissione tamen ad iudicium Doctorum.

Idipsum quoque (prosequitur idem Auctor) factum est in duplici oraculo Greg. XIII. pro Societate Iesu, quorum uno, 24. Aug. 1576. concessit, ut in his locis & Parochiis, ubi Concilii Trid. Decretum de irritandis Matrimonij clandestinis promulgatum est, & ab aliquibus non servatum, qui induci non possunt, ut iterum, servatâ formâ Concilii, contrahant, possint cum talibus dispensare, ut inter se contrahant, non servatâ Concilij formâ & ut, postquam ita contraxerint, proles ita suscepta ipso facto legitime censentur.

Altero die 2. Sept. 1580. concessit, ut possint iidem dispensare cum iis, qui contraxerunt cum impedimento criminis, qui non putant illicitum, dare fidem de Matrimonio post mortem conjugis, vivente altero, imò putant iustissimum esse, ubi intervenit copula. Horum meminit etiam P. Cypri. in Reg. c. 7. lect. 29.

Idem Greg. XIII. 17. Aprilis 1581. iisdem concessit, ut Confessarii Societatis Iesu, quos Generalis, vel ex ejus concessione Superiores subordinati nominaverint, possint in foro conscientia dispensare cum iis, qui ab hæreticis, schismaticis, vel à non proprio Parocho, etiam ubi Concilium Trid. particulariter promulgatum est, Matrimonio juncti sunt, ut inter illos sine nova ceremonia (ad quam hæreticus non consentiret) sit verum Matrimonium post dispensationem, à Confessario factam, & post elicitum aliquâ ratione à conjugè novum consensum.

Eodem die & anno concessit idem Greg. facultatem Confessariis ejusdem Societatis, in foro conscientia dispensandi cum iis, qui in quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis contraxissent, nec possent ullo modo sine grandi periculo thoro separari, ut elicitò ab utroque conjugè novo consensu, Matrimonium absque aliis solemnitatibus sit validum. Eandem facultatem concessit inter compadres & commatres, qui Matrimonium iniissent, spiritualli Bosco de Matrim. Pars II.

cognitione impeditum, etiam si uterque conjugum Catholicus sit. Facult. Septentr. Soc. Iesu verb. Matrimonium. Hucusque Bonagratia, post P. Bassæum & P. Cyprianum etiam Capucinos. Ego autem miror, nullum istorum privilegiorum positum fuisse in Compendio privilegiorum & gratiarum Societatis Iesu.

Et verò Rodrig. to. 3. qq. Regul. q. 2. a. 2. de privilegio Leonis X. sic ait: Tale privilegium non video esse in usu; imò Doctissimus Pater Vega, legens Sacram Theologiam in hoc conventu S. P. N. Francisci Salmanticensi, asseruit, se credere, hoc privilegium non fuisse universaliter concessum; sed pro aliquo casu particulari tantum fuisse indultum, quo casu cessante, jam ipsummet cessaverat; non enim credendum est, Summum Pontificem Religiosis quoad sæculares concessisse id, quod Episcopis nunquam legitur fuisse generaliter elargitum. Sic ille. Sed ad hæc argumenta in contrarium, sup. responsum fuit à Brunone.

Henriquez lib. 12. de Matr. c. 3. n. 3. ait: Id privilegium non concedit amplius, quàm dispensare, ut incestuosus contrahat cum alio: aut ut licite debitum petat, non obstante incestu commisso post Matrimonium. Et in Commento lit. A. Quia, inquit, non reperitur scriptum apud eos, qui diligenter privilegia Mendicantium collegerunt, videtur tantum fuisse concessum à Leone X. dispensare in affinitate incestus, quæ supervenit Matrimonio. Hæc ille. Contra tamen tenorem verborum, quæ ex Roffensi sup. retulimus.

Cum Henriquez sentit Quintanadvenas; scilicet, ejusmodi facultatem non fuisse ita generaliter collatam; tum, quòd sedulus revolvit omnes, qui diligenter collegerunt privilegia Mendicantium, & tamen nihil tale repererit: tum, quia estò ponamus concessam, attamen revocata sit per Concil. Trid. sess. 25. c. 22. de Regul. ibi: Non obstantibus eorum omnium & singulorum privilegij &c.

Verum (inquit Gobat sup. n. 719.) liquet ex Rubrica, quam Barbosa præfigit huic 22. cap. Concilium illic non loqui de privilegiis contrariis cuicumque tandem Decreto illius Sacræ Synodi; sed solum de iis, quæ obstant Decretis in ea tota sessione, patetque ex ipsa littera hæc explicatio. Sic ille.

Nihilominus tamen (prosequitur n. 720.) existimo esse verosimilius, tale privilegium vel nunquam emanasse, vel si emanavit, non subsistere. Etenim vel fuit dumtaxat vivæ vocis Oraculo concessum, vel per Bullam; si secundum evolavit, cum nusquam reperiat; evolasse quis credat? Si primum, probabilissimè evanuit ob Bullas Greg. & Urbani. Attamen, ob reverentiam ergà illum S. Episcopum, credo omnino, esse datum, at non bullatum formaliter, consequenter de illo differendum, sicut de cæteris sine Bullis concessis olim privilegiis.

Quia verò tam Veracruz, quàm Chassai-nus, adhuc tribuunt ipsi robur; Pellizarius & Bonagratia non negant, sicut nec Bassæus; non

195.  
Resp. Rodriguez ad privilegium Leonis 10.

Explicitio ejus ex Henriquez.

196.  
Quem sequitur Quintanadvenas

Putat revocatum per Trid.

Sed perperam, ex Gobatio.

197.  
Quamquam & hic existimet, illud non subsistere.

Invenimur posse practicari in certis circumstantijs.

192.  
Solvuntur objectiones.

Pro eodem privilegio refertur à Bassæo. Veracruz. Bonagratia.

193.  
Refertur duplex Oraculum Greg. 13. pro Societate Iesu.

194.  
Auctorem ponit.

Quartum & ultimum.

non esset manifesti criminis, seu imprudentiæ reus, ille ex Ordine Mendicantium Regularis, qui nactus duos ejusmodi conjuges, sed concios impedimenti orti ex fornicatione, ut exprimit Henríquez, versantes autem in manifesto perpetuoque (ob utriusque singularem fragilitatem) incestuosorum concubituum discrimine, cum evidenti periculo, quod ampla hæreditas esset ad ipsorum filios illegitimos devolvenda iniquissimè, & cum quadam morali impossibilitate faciendi separationem, diceret iis: *Dispenso vobiscum quoad possum, quia tamen valde dubium* (Theologi & Iurisperiti sexcenties vocant dubium illud, cuius certitudo non habetur) *est, an possim, petam à Penitentiaria Romana* (vel ab Episcopo juxta dicta sup.) *certam dispensationem, interim si continere non potestis, revertimini in idipsū, sperantes benè de benignitate divina.* Ratio est; quia satius est in morbis desperatis adhibere dubiam, quàm nullam medicinam. Hucusque Gobatius.

198.  
Initium  
Auctoris.

Ego autem dico; si credere debemus, illud privilegium omninò esse datum, bullatum fuerit formaliter, vel non, probabilissimè nondum evanuit. Sanè non est dubium, quin multa privilegia, formaliter bullata, injurià temporum evolaverint; cur ergò non possum credere, & hoc, de quo agimus, & quod citatur à viro tam sancto & docto, evolasse?

Hodie multa  
Oracula  
vivæ vocis  
non evanue-  
runt.

Præterea: probabilissimum est, etiam post Bullas Greg. XV. & Urbani VIII. multa Oracula vivæ vocis non evanuisse; scilicet, ea omnia, quæ à Pontificibus ex certa scientia confirmata, in Bullas transferunt. Et verò cur inter ea non possit numerari dictum privilegium?

Ut omittam Urb. VIII. alià posteriore constitutione, quæ incipit: *Aliàs fel. 11.* Aprilis 1635. estque 151. apud Cherubinum, declarasse, Officiales seu ministros, quibus aliàs, antè emanatas illas duas Bullas, ex officiorum suorum auctoritate de Oraculo, per eos à Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, habito, fides haberi solebat, quoad ea, quæ ad cujuslibet eorum officium seu munus, quo funguntur, pertinent, in prædictis litteris minimè comprehensos fuisse.

199.  
Est assertio  
Chassaiing.

Audite Chassaiing. sup. tract. 1. c. 2. propos. 6. sequentis tenoris: *Privilegia omnia vivæ vocis Oraculo concessa, firma sunt, ubi Constitutiones Greg. XV. & Urbani non fuerunt debite publicata & Regularibus intimata; & aliqua ex ipsis, ubi etiam fuerunt publicata.*

Cuius 1.  
pars probatur  
1.

Quàmvis (inquit) possimus in hac materia asserere, nullum esse vivæ vocis Oraculum, quin in Bullis Pontificum reperiatur, excepto privilegio tangendi sacra, laicis seu convertis fratribus factò, ut observavit quidam vir regularis doctissimus, ex consequenti nullum esse vivæ vocis Oraculum nisi unum: nihilominus assentiendo propositioni positæ, illius prima pars probatur 1. ex præcedentibus, in quibus ostensum est, universaliter privilegia subsistere: ergò & privilegia vivæ vocis.

200.  
Secundò.

Secundò: quoniam privilegia multorum Ordinum, à multis Pontificibus ea specialiter

innovantibus, ex certa scientia confirmata fuerunt; & præcipuè à Pio V. Bullâ inchoatâ: *Etsi Mendicantium*, eadem, in favorem omnium Mendicantium, innovante his verbis: *Etiã vivæ vocis Oracula in genere vel in specie, tam per record. mem. Eugen. IV. Sixium IV. Leo. X. Paul. III. ac dictum Paul. IV. & Pium etiam IV. quam alios quoscumq; Rom. Pontifices, etiam Prædecessores nostros, ac nos & Sedem eamdem concessi, & perpetuò approbamus & confirmamus.*

Quoad verò 2. partem, probatur 1. quoniam Bulla Greg. XV. inchoatâ: *Romanus Pontifex* (27. apud Cherubinum) revocat privilegia vivæ vocis Oraculo concessa, etiam quomodolibet confirmata & innovata, excipiendo illa, quæ sortita fuerunt effectum, & alia Cardinalibus ad ipsorum vel aliorum quorumcumque favorem, propriâ S. R. E. Cardinalium manu firmata, pro ipsis vel aliis facta, & de quibus iidem S. R. E. Cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Nec non etiam illa, quæ ad instantiam Regum impartita reperiebantur.

Secundò: quia Bulla Urb. VIII. quæ incipit: *Aliàs felic. record.* de die 20. Decemb. 1631. (estque 121. apud Cherub.) nullius Oraculi exceptionem facit, ponitque clausulam revocatoriam eamdem, quam Greg. cum clausula alia revocatoria suæ regulæ, de non tollendo jure quæsito &c. vult tamen, ut publicatio & intimatio hujus suæ constitutionis fiat per Generales Provincialibus, & per Provinciales Prælatibus localibus, & per hos aliis. Quòd si facta non fuerit, non est curandum de contentis in hac Bulla; quod similiter dicendum de contentis in Bulla Gregorii, si publicata & intimata non fuerit. Sic Bruno.

Sed (inquit Gobat sup. n. 729.) quia Urbanus nec verbulo indicat, illam publicationem tam particularem esse necessariam ad inducendam obligationem in actu secundo, non ausim ita loqui aut scribere.

Accipe verba Pontificis: *Præterea, ut præsentibus litteris omnibus & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quantum citius innotescant, omnibus & singulis Generalibus, & aliis quocumque nomine nuncupatis Superioribus quorumcumq; Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum, sub excommunicationis, ac privationis officiorum & dignitatum, nec non vocis activæ & passivæ pœnis, ipso facto incurrendis, præcipimus & mandamus, ut infra tres menses proximos, à die publicationis præsentium computandos, omnes & singulos Provinciales eorumdem suorum Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis Iesu, & Institutorum de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, earundemq; præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Provinciales sub eisdem pœnis teneantur, singulis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, domorum & locorum regularium præcipere, ut easdem præsentibus subditis suis, ut moris est, publicent.*

In quibus verbis, ut dicam, quod sentio, nullum video, quod indicat hanc particularem publicationem esse necessariam, ut Decretum roboratum fuisset.

Prima probatio 2. partis.

201.  
Probatur 2. ex Bulla Urb. 8. in qua juxta hanc Auctoritatem requiritur particularis promulgatio, ut obliget.

Sed hoc negat Gobatius.

202.  
Referuntur verba Pontificis.

203.  
Auctor confirmavit Gobatium.

Trid. suum habeat. Unde Trid. sess. 24. de Reformatione. c. 1. in fine, non tantum præcipit Ordinariis, ut Decretum irritans Matrimonium clandestinum curent promulgari in singulis Parochiis, sed continuo adjungit: *Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem Parochia facta, numerandos.* Quibus verbis manifestè indicat, hanc particularem publicationem esse necessariam ad inducendam obligationem in actu secundo.

Et si quidem similibus verbis Urbanus uteretur in d. Bulla, idem de ea dicerem, scilicet, non obligare in actu secundo sine d. particulari publicatione. Quæ utique non est facta in nostra hac Provincia Germaniæ Inferioris, quod ego sciam; secus testatur Gobat sup. de sua Provincia superioris Germaniæ, dicens, in ea fideliter & humiliter paritum illi Decreto.

204. Porro Bonagratia Habensis Alsatæ Franciscanus Capucinus scribit sup. n. 419. et si per Ordinarium Diocesis Constantiensis anno 1632. promulgatum esse constat ex impressis exemplaribus; nullum, tamen apud eos extare vestigium, sed potius contrarium. Habetur enim (inquit) inter Provinciæ monumenta testimonium expressum R. P. Columbani à Rotemburgo, qui ministerio hujus Provinciæ pluries magnâ cum laude functus, ad quoddam vivæ vocis Oraculum in Archivo Provinciæ expositum, suâ manu scriptum reliquit, in Capitulo Generali anno 1633. cui præsens intererat, proclamatum fuisse, quòd Urban. VIII. Pontifex non intendat, ut ejusmodi Oraculorum revocatio Capucinos afficeret. Hæc ille.

205. Quam utique mentem Pontificis ibidem aliis testimoniis confirmat: Unde (inquit Gobat sup. n. 739.) quis fortè sic argumentabitur: Omnia privilegia, etiam vivæ vocis, quibus gaudent PP. Capucini, competunt omnibus Ordinibus, habentibus cum eorum Congregatione plenissimam communicationem privilegiorum; atqui ex una parte vel omnes, vel saltem plerique Ordines Mendicantes, ac nominatim Societatis Iesu, habent illam communicationem; ex altera parte PP. Capucini gaudent etiam nunc certò (ut apud Bonagratiam sup. quidam Minister Provincialis scribit) omnibus pristinis privilegiis; ergò. Major propositio nequit absolutè negari, cum omnes fateantur, saltem in plenissima participatione, qualis est, juxta Bonagratiam, & Alios, quando fit æquè primò ac principaliter, comprehendi Oracula vivæ vocis. At verò si admittatur major propositio, non verificabitur derogatoria clausula Urbani, quatenus petit & ferit in terminis *Quoscumque Ordines Religiosos, etiam Mendicantes, ut expresserit Gregorius.*

206. An respondebimus? illam propositionem majorem esse veram, si non constat manifestè (meræ probabilitati non do hic locum, utpote non ignarus, quando unum oppositorum est dumtaxat probabile, alterum non carere omni probabilitate) esse aliam mentem concedentis

Bosco de Matrim. Pars II.

ea privilegia; quæ quidem mens desumi non debet ex affectu, quo Urb. VIII. ob suum secundum carnem (ut loquitur ipsemet Urb. in Bulla de Largitione munerum) Fratrem Onuphrium, teste Bonagratia, ferebatur in illud Religiosissimum Institutum; etenim Petri Successoribus non debet caro & sanguis revelare & persuadere concessionem tam specialium gratiarum; sed inde, quòd qui è duobus unum exprimit & affirmat, alterum tacens, hoc alterum negare videatur, cap. Nonne de Præsumpt. Urbanus verò dixerit, ut refert Bonagratia, Reverendissimo P. Antonio Generali anno 1633. *In nostra revocatione non intelliguntur vivæ vocis Oracula, vobis Capucinis concessa;* & nulla clausula debeat esse frustrâ in Bullis: frustrâ autem aut falsâ foret clausula: *Omnibus, seu, quibuscumq; Ordinibus, si ea non includerentur Ordines, etiam communicantes cum PP. Capucinis.*

Ostenditur quòd non.

An divinabimus, quandoquidem, interprete P. Bonagratia, illa sola & omnia vivæ vocis Oracula, quæ quomodocumque Capucinatorum instituto convenienter sunt concessa, remanent in suo robore, saltem illa cæterorum Ordinum privilegia vivæ vocis esse cassata, quæ nullo modo convenientia Capucinatorum instituto emanarunt? Dico ego hic semel, quòd Diana sexcenties: Tu cogita, Hucusque Gobatius.

Cogitavi & recogitavi, nec aliud dicere possum, quàm, non est finis privilegiorum, & revocationem eorum ac confirmationem: quis sapiens, & nobis ea omnia enarrabit? Si omnia privilegia, etiam vivâ tantum voce concessa, quibus Religiosi gaudebant antè Greg. XV. & Urb. VIII. erant concessa, etiam per Bullam seu scripturam; atque adeò non erant amplius sola Oracula vivæ vocis, uno fortè excepto, ut sup. dicebat Bruno, & mens Pontificum erat, ea non revocare, ad quid emanarunt illæ Bullæ revocatoriæ? An fortè propter unum istud Oraculum? An fortè propter Oracula subsequenti Pontificum? Sanè Bullæ non loquuntur, nisi de privilegiis, facultatibus, licentiis, & gratis, jam tunc concessis. Hæc cogita.

207. Non est finis privilegiorum & eorum revocationum, ac confirmationum.

Et transi mecum ad aliud privilegium, quod Sanchez lib. 8. disp. 6. n. 29. dicit concessum à Paulo III. Religiosis Societatis Iesu, ut dispensare possint cum infidelibus ad fidem conversis, qui in locis remotissimis existunt, & infidelitatis tempore inire Matrimonium in gradibus, solo jure humano prohibitis, ut in eo permanere valeant.

208. Proponitur aliud privilegium Societatis Iesu, ex Sanchez.

Sed (inquit hic Auctor) hoc privilegium ad majorem abundantiam est. Nam juxta cap. *Gaudemus*, de Divort. nulla dispensatio necessaria est. Quia Matrimonium, tempore infidelitatis inire contra solas leges Pontificias, validum est. Sic ille. Ex quo fortè contigit, quòd non reperitur in compendio privilegiorum Societatis Iesu.

Cæterum, ut notat Aversa sup. §. *Decimo*, Aversa, interdum Prædicatores, qui mittuntur ad infidelium regiones, delegantur item ad dispensandum in certis gradibus & impedimentis, in

R r r 2 quarum

quarum concessionum usu, servandæ erunt conditiones in iis præscriptæ. Hæc ille.

209. An alij Mendicantes participent privilegia concessa Missionarijs Capucinis in Helvetia. Negat Gobatius.

Nos superius aliqua privilegia retulimus ex Bonagratiâ Sum. verb. *Missio*, concessa Missionarijs Capucinorum Provinciæ Helveticæ. Quæ non videntur posse ab alijs Religiosis participari per communicationem, juxta Gobatium sup. n. 725. Tum ( inquit ille ) quia mihi verisimillimum est, id expressè ( tametsi non meminerit Habfensis ) vetari à Congregatione ; tum, quia alij Regulares non petunt renovationem ; tum, quia impertitur solis Missionarijs.

Et si verò nostræ Societatis Sacerdotes, incolentes loca, quæ per Provinciâ Helveticam intelligit P. Habfensis, id est, ipsam Helvetiam, Brisgojam, magnam Sueviæ, & Alsatia partem, eò jure appellari possint Missionarij, quo universim PP. Capucini, incolæ eorundem locorum, habentur pro Missionarijs ; haud tamen existimo, fuisse hæcenus à quopiam nostrum in praxim redactam ullam ex iis facultatibus ; nec vellem esse auctor redigendi. Sic ille.

210. Pro parte affirmante arguit Auctor.

Ego invenio scriptum in Compend. Privil. Societ. Iesu, verb. *Privilegia*, §. 4. *Quoties dubium fuerit in intellectu privilegiorum nostræ Societatis, semper per Jurisperitos & alios judices in favorem Societatis fiat interpretatio. Concessit Alex. VI. Congregat. Benedictinorum Vallisoleti sub datis Roma Kalendis Aprilis anno 1501. Pontificatus sui anno 8. & habetur in manuscriptis fol. 39. pag. 2. Ita Compend.*

Neque est verisimile, ut illi, qui aliquam ex istis facultatibus ad praxim reducant, id Gobatio intimare debeant, cum, ut sup. dicebat Bruno de Privilegio Leonis, versetur circa occulta, quæ solis Confessario & pœnitenti sunt nota.

211. Adhuc unum privilegium ex Aug. à Virg. Maria.

Addam adhuc unum privilegium, quod refert Aug. à Virgine Maria verb. *Missionarii*, n. 19. quo Paulus V. anno 1612. concessit Carmelitis Discalceatis in Regno Persarum & illius Provinciis, ut cum prædictis regni Persarum populis tam ad fidem jam conversis, quam de cetero convertendis, super quibuscumq, præterquam in primo in linea transversali, & quocumq, inter ascendentes & descendentes consanguinitatis vel affinitatis gradibus, quibus inter se conjuncti, aut attingentes fuerint, ita ut impedimentis hujusmodi non obstantibus, Matrimonium inter se publicè, servatâ formâ Concilii Trid. contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere, ita tamen ut cum prima, quam duxerint, uxore remanere teneantur, liberè & licitè possint & valeant dispensare. Bulla incipit : *Vt regni*, 9. in Privilegijs Carmel. Discalceatorum.

Ad usum horum privilegiorum non requiritur urgens necessitas, ex Averfa.

Nota autem ex Averfa sup. Omnes hi, & alii, qui habent hanc facultatem ex speciali commissione Pontificis, poterunt liberè dispensare ex justa causa, etiamsi non urgeat tanta necessitas, & etiamsi pateat aditus ad Pontificem ; quia eorum facultas non ad has angustias restringitur.

212. Quid fa-

Præterea advertendum circa Confessarium, qui à Pontifice vel Episcopo accepit facultatem

dispensandi in tali impedimento, sub conditione ; *Si, quæ narrata sunt in petitione dispensationis, veritate nitantur*, debere diligenter inquirere, num res ita sit, sicut exposita fuit Summo Pontifici vel Episcopo. Sufficit autem ( inquit Dicast. sup. n. 71. ) quòd hoc inquireat ab ipso pœnitente, cui pro foro conscientia credendum est, & sub illius testimonio potest procedere ad dispensationem ; nisi ipse contrarium sciat extrâ Confessione, aut nisi compererit tacitū fuisse aliquid, quod in narrativa debuisse explicari.

Sed nunquid necessarium est, ut pœnitens præmittat Confessionem ? Attendenda sunt verba concessionis. Hæc non sufficiunt : *In foro conscientia tantum*, aut etiam, *In foro pœnitentiæ*, fessio.

Pro quo nota distinctionem inter forum conscientia & pœnitentiæ. Forum equidem conscientia per se non supponit culpam, nec ordinatur ad remittendum vel vindicandum aliquod delictum apud Deum ; multa quippe conceduntur in foro conscientia præcisè propter bonum & favorem eorum, quibus conceduntur, & non propter malum aliquod tollendum. Tale privilegium est, exemptio Regularium à jurisdictione Ordinariorum. Item, immunitas loci sacri. Forum porò pœnitentiæ dicitur in ordine ad tollendum aliquod vinculum vel malum apud Deum, sive id fiat per proprium Sacramentum pœnitentiæ, seu per alios actus ostensivos aut inflictivos pœnitentiæ.

Rogas : quomodo hoc forum distinguatur à foro externo seu contentioso ? Respondeo ; quòd in foro pœnitentiæ, sive sit iudicium Sacramentale, sive quodcumq, aliud, solvitur quis vel ligatur apud Deum ; hoc est, datur absolutio vel dispensatur in ordine ad conscientiam ; in foro autem contentioso in ordine ad Ecclesiam.

Hoc notato, probatur nostra doctrina ; quia nulla est ratio, forum conscientia aut pœnitentiæ restringendi ad iudicium Sacramentale pœnitentiæ ; quippe nec in communi usu, nec in proprietate verborum, habet fundamentum, neque in re ipsa. Siquidem pœnitentiæ Ecclesiastica non est tantum Sacramentale, sed etiam extrâ Sacramentum aliquod iudicium pœnitentiale exerceri potest.

Et hæc maximè locum habent, quando privilegium est favorabile, cum favores sint ampliandi. Atque ut esset odiosum, cum non sit major ratio, per forum pœnitentiale intelligendi Sacramentale, quam extrâ sacramentale, poterit pro libitu privilegiantii ad alterum limitari. Quid ni etiam possit extendi ad utrumq, ? Illa etenim non est propria extensio, sed solum explicatio ejus, quod ordinariè, & de per se illâ voce significatur. Quando ergò concedens privilegiū, vellet restringere suam concessionem ad forum Sacramentale, ad minus deberet dicere : *Vi auditis eorum confessionibus, possint dispensare &c.*

Dico consultò : *Ad minus* ; quia nec hæc ipsa verba sufficere docet Dicastil. sup. n. 74. Etenim cum n. 73. sibi objicisset verba, quibus utitur Greg. XIII. in Bulla, quâ concedit Societati Iesu privilegium expediendi dispensationes

Pon-

ere debeat Confessarius, cui committitur dispensatio.

An sit necessarium, ut præmittatur Confessio.

213. Distinctio inter forum conscientia & pœnitentiæ.

Quomodo forum pœnitentiæ distinguatur à foro externo.

214. Hic per forum pœnitentiæ non necessarium intelligitur iudicium Sacramentale.

Quid si dicatur : Ut auditis eorum confessionibus &c.

215. Nec hoc sufficit secundum Dicast.

Pontificias, putà : Literas hujusmodi aperiendi, confessionibusq; fidelium ad ipsos recurrentium auditis, & imposita salutari, in illis expressa, vel de jure intelligenda penitentia, absolvendi; ac in foro conscientia quasumque sibi verbo vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, & penitentiarum injunctiones excipiendi & exequendi, licentiam & facultatem tenore presentium concedimus.

Quomodo intelligenda illa verba.

His tamen (subjungit idem Auctor) non obstantibus, adhuc puto locum habere prædictam doctrinam, & posse dispensationem concedi, non auditâ Confessione. Illæ verò particule: Confessionibus fidelium &c. auditis, intelligendæ sunt per distributionem seu attributionem accommodam, nempe pro casibus, in quibus fuit necessaria Confessio, ita ut particule illæ non sint limitativæ, sed offensivæ aut extensivæ, ita ut ostendant & extendant potestatem concessam, attingere etiam ad ipsam Confessionem audiendam & absolutionem à peccatis, ubi id necessarium fuerit; non verò limitent & coarctent potestatem intrâ limites præcisè Confessionis Sacramentalis. Sic ille.

216.

Qui plura desiderat de hac materia, videat Sanchium lib. 8. Disp. 34. ubi diffusè tractat, qualiter intelligantur clausulæ dispensationum, quæ in foro conscientia circa Matrimonij impedimenta expediuntur in sacra poenitentia Romana. Et n. 30. approbat hanc doctrinam Dicastillonis eamque confirmat: quia similiter in iisdem Religiosorum privilegiis conceditur illis facultas, ut, auditis Confessionibus, absolvant à peccatis, & censuris eis annexis. Et antiquitus in Bulla Cruciatæ eadem clausula habebatur. Et tamen valde probabilis doctissimorum viro- rum sententia habet, eum ablativum absolutum referri ad solam à peccatis absolutionem, ac licere virtute ejus privilegij absolvere extrâ Confessionem à censuris.

Confirmatur opinio Dicast. ex Sanchez.

217.

Obiectio ex c. 41. de Appel.

Quod si replices: clausulam in quacumque dispositionis parte positam, sive in principio, sive in medio, sive in fine, referri ad omnia contenta in illa, cap. Secundo requiris, de Appel. ibi: Nihil enim interest, utrum inhibeat primo, an secundo, medio, an in fine: cum (sicut utriusque juris argumenta nos docent) ea quæ in principio, ad medium & ad finem, illa verò quæ in medio, ad finem atque principium, sæpe referri contingat. Ubi id communiter notant DD. Cum ergo, Auditis Confessionibus, ponatur in principio illius clausulæ, refertur ad omnia subsequenta.

Solvitur.

Respondeo: eam regulam intelligi, quando omnium præcedentium, vel subsequentium eadem est ratio. At non est eadem ratio absolvendi à peccatis, & dispensationis expediendæ. Illud enim jure divino præviam Confessionem exigit, hoc autem nullo jure eam petit, nec aliquam cum illa connexionem habet. Nec credendum est, Pontificem facultatem, quam sacra Poenitentia concedit Doctori extrâ Confessionem, velle respectu Religiosorum coarctare ad Confessionem. Sed vera mens ejus fuit, eandem facultatem, & eodem modo, quo Poenitentia Sacra Doctori concedit, concedere

Religiosis. Hactenus Sanchez.

Petit aliquis à me: quis fit iste modus, quo

218.

Poenitentia sacra concedit Doctori istam facultatem? Respondeo ex Sanchio sup. n. 1. Dispensationis in voto Religionis forma communis novissima hæc est: Iulius Antonius misione Divinâ tituli S. Bartholomæi in Insula Presbyter Card. discreto viro confessori Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per latorem presentium ad infra scripta specialiter eligendo, salutem in Domino. Pro parte lateris nobis oblata petitio continebat, quod ipse, aliàs gravi morbo laborans, se Religionem ingressurum simpliciter vovit. Cum autem sicut eadem petitio sub-ungebat, lator prædictus ob stimulos carnis, quos sentit, continenter vivere posse non speret, pro sua conscientia quiete cupit votum hujusmodi ad effectum contrahendi Matrimonium, in alia poenitentia, & pietatis opera, per Sedem Apostolicam commutari. Quare supplicari fecit humiliter, sibi super id de opportuno remedio misericorditer providere. Nos igitur qui Poenitentia D. Papa curam gerimus, ejusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ specialiter nobis commissâ, discretioni tuæ committimus, quatenus si ita esse, ac latorem stimulis carnis adeò agitatum, ut maxime dubitet, continere non posse, ac propterea de ejus incontinentia probabiliter timendum, per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita, & consilia opportuna illi præstita, inveneris: eundem à mutatione propositi absolvas hæc vice in forma Ecclesiæ consueta, injunctâ ei penitentia salutari: sibiq; votum prædictum, ad hoc, ut Matrimonium legitime contrahere possit, in frequentiam Sacramentalis Confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus semel, aut quoties tibi videbitur, & in alia poenitentia opera perpetua, per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua Religionis, quæ quotidie facere teneatur ad eum finem, ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, quâ hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius anima salutis expedire judicaveris dispensando commutes, in foro conscientia tantum. Datum Roma &c.

Modus quo Poenitentia conceditur facultatem dispensandi ex Sanchez.

219.

Alias similes formas refert ibidem Sanchez n. 2. 3. & 4. pro dispensatione in voto castitatis, & affinitate ex fornicatione, quas ibi videre poteris, simul cum explicatione singularum clausularum num. seqq. Nimis longum foret, hæc omnia recensere, eaque singula expendere.

Tantum ad propositum nostrum dico: quàmvis probabile sit, etiam hic exigì confessionem, propter illam particulam: Eundem à mutatione propositi absolvas &c. attamen Sanchio sup. n. 29. probabilius est contrarium. Ducor, inquit, quod licet ea verba importarent absolutionem Sacramentalem, non ponantur per modum conditionis, ut ex eorum tenore constat. Non enim ponuntur cum particula aliqua conditionem denotanti, qualis est: Si, Dummodo; aut per ablativum absolutum. Quia ille ablativus absolutus: Injunctâ penitentia salutari, non jungitur facultati dispensandi, sed absolutioni Sacramentali, si ea verba: A mutatione propositi eum absolvas, eam important. Quare conditionem non importat, eò quod jure

An hic exigatur Confessio: Negat Sanchez. Probatur 1.

nest: in omni enim Confessione Sacramentali est poenitentia injungenda. Sic ille.

*Secunda probatio.* Præterea Reg. 57. de Reg. Juris in 6. ait: *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* Jam autem apertius potest dicere Poenitentia: *Audita Confessione, cum eo dispenses.*

220. *Quare requiratur, ut dispensatus sit Confessor approbatus, ex Sanchez.* Sed dicet aliquis: ut quid ergo requiritur, quod dispensaturus sit Confessor approbatus ab Ordinario? Respondet Sanchez sup. ut sciat expedire dispensationem, exigitur scientia, & cum hæc non constet Sacrae Poenitentiarie, duplex illius testimonium petit, alterum Academiae, conferendo illi gradum Doctoris aut Magistri; alterum autem Ordinarii, illum approbando, ut Confessorem idoneum.

Præterea: quia in his litteris duplex potestas committitur Confessario, altera absolvendi à mutatione propositi, si forte ea culpa fuit, transgrediente vovente promissionem, & ad hoc est necesse, eum esse Confessorem. At in nullis hujus concessionis verbis, ponitur tamquam conditio necessaria, ut Confessor hic hanc absolutionem præmittat. Sed sensus hujus clausulæ est: Si forte is, cum quo dispensandum est in voto, tibi transgressionem ejus passus fuerit, absolvet eum hæc vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta ei poenitentia salutari. Sed dices: ad quid commissio hæc? Respondetur; quia forte voti transgressio poterat esse reservata in ea Diocesi. Ita Sanchez. Et merito.

*Objectio solvitur.*

221. *Replica Diluitur.* Si replices: in fine harum litterarum dicitur, eas pro solo conscientiae foro concedi. Responsio patet ex antedictis; scilicet, forum conscientiae, imò etiam poenitentiae, nullatenus coincidere cum foro Sacramentali; sed hic usurpari pro foro interno, ut distinguitur contra externum: porro non est lex fori interni, ut solum intra Confessionem res fiat, sed ut vel intra Confessionem, vel non publicè, adhibitis testibus & Notario, ne pro foro externo.

*Quid importent hæc verba: Dispensa pro foro conscientiae.* Igitur hæc verba: *Dispensa, aut, absolvet pro foro conscientiae*, tantum important, ut ita fiat dispensatio, vel absolutio, ut non pro foro externo. Atque adeò quoties Confessarius, ratione Bullæ, aut alterius privilegii, absolvit extra Confessionem ab excommunicatione in solo conscientiae foro, liquet profectò, quod sit Judex extra Sacramentum; & idem est, quando commissam sibi dispensationem in eodem foro expedit. Sicut Episcopus absolvens in foro conscientiae à censuris occultis, sibi concessis in Trid. sess. 24. de refor. c. 6. est judex in foro interno, quamvis extra Confessionem absolvat. Vide quæ de hac absolutione Episcopi dixi Disp. 8. Sect. 5. Conclus. 7. & 9.

222. *Episcopus non potest dispensare in omnibus impedimentis tantum prohibentibus.* Cæterum ex his litteris Poenitentiarie palam fit, non posse Episcopum dispensare in omnibus impedimentis solum prohibentibus Matrimonium; non enim in voto Religionis, & castitatis perpetuæ; alioquin non deberet recurri, nec recurreretur ad Poenitentiarium pro illis litteris. In aliis consuetudo obtinuit, ut Episcopus dispense, etiam pro foro externo, & ubi

foret facilis recursus ad Pontificem, nisi hic expressè Matrimonium in casu particulari interdixisset.

Aliqui etiam excipiunt sponsalia, in quo impedimento volunt, solum Pontificem posse dispensare. Ita Sanchez lib. 1. disp. 61. n. 3. Quia (inquit) jus est acquisitum tertio, quod nullus, præter supremum Principem, potest auferre. Item; quia hæc ratione DD. negant, posse Episcopum relaxare juramentum tertio prestitum, nisi turpitudine ex parte illius tertii repariatur.

Præterea: quia jure Pontificio hoc reservatur, ut constat ex cap. *Ex litteris*, 2. de Sponsal. ubi præcipit Pontifex Episcopis, ut compellant ad sponsalium fidem servandam, in qua lege, cum sit Superioris, nequit Episcopus dispensare. Sic ille, post Paludanum 4. dist. 27. q. 1. a. 2. n. 14. quos sequitur Perezus hic disp. 11. sect. 2. n. 5.

Itemque Aversa §. *Primo*, dicens: Excipi debet impedimentum sponsalium. Quod etiam non solo jure humano, sed ex natura ipsa rei obligat, & pertinet ad debitum justitiæ. Unde potest quidem ex mutuo partium consensu, aut aliis justis de causis dissolvi absque alia dispensationis ope. Nisi quod, ubi causa esset controversa, aut imminente damno, debet expectari sententia Episcopi, tamquam judicis, pronuntiantis justam dissolutionem sponsalium: Sed de reliquo non potest Episcopus in hoc dispensare. Hæc ille.

Quæ sententia (inquit Dicastillo sup. n. 77.) valde probabilis est, & in praxi videtur sequenda. Nihilominus (prosequitur n. 78.) non videtur improbabile oppositum, quoties legitima causa dispensandi subit. Nam si causa talis sit, ut, non obstante jure justitiæ, quod alter acquisivit, possit à legitimo Superiore rescindi contractus sponsalitus; non video, cur, si Papa potest in universali Ecclesia, etiam ubi non est Dominus temporalis, dispensare in eo impedimento, non possit etiam Episcopus in propria Diocesi, ubi dispensando tantumdem potest, si non sit reservatum à Pontifice. Sic ille.

224. *Quid dicendum ad ult. arg. Sanchez.* Quid ergo ad ultimum argumentum Sanchezii, quod dicit, id esse reservatum Pontifici per d. cap. *Ex litteris*? Nihil respondet Dicastillo, nec ejus meminit. Respondeo ego: Episcopus debet compellere ad sponsalium fidem servandam, nisi rationabilis causa obstiterit. Sic enim scriptum habes in ipso textu: *Et si non acquieverit monitis, Ecclesiastica censura compellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

Scio Glosam verb. *Rationabilis causa*, per eam intelligere consanguinitatem, vel affinitatem, vel aliquod aliud perpetuum impedimentum. Sed quid vetat, etiam intelligere aliam causam justam, propter quam ipse Pontifex posset dispensare seu dissolvere contractum, & tollere à sponsis jus sibi acquisitum per sponsalia? Tu Cogita.

226. *Quid si sponsalia gravi metu forent contracta, consen?*

censent quòd Episcopus (supposito eorum valore) non possit ea dissolvere ad petitionem metum passì? Ipse Sanchez sup. oppositum indicat, quando dicit, Episcopum non posse relaxare juramentum tertio præstitum, nisi turpitudò ex parte illius tertij reperiat. Ergò si reperiat, potest relaxare; sed quando sponsalia inita sunt ex gravi metu, reperitur turpitudò ex parte illius, qui metum intulit; ergò tali saltem casu potest Episcopus sponsalia dissolvere, atque adèd dispensare.

Sponsalia non sunt proprie dispensabilia sed potius solubilia, ex Dicast.

Siquidem (ut benè notat Dicast. sup.) hujusmodi impedimentum non videtur propriè loquendo dispensabile, cum sit impedimentum juris naturalis; sed tantum contractus ille sponsalitijs, qui impedièbat Matrimonium, potest rescindi à legitimo Superiore ex causa, ita ut non amplius subsistat, liberando contrahentes à vinculo & obligatione illius contractus; quando judicatur rationi consonum, quòd (etiam altera parte vel utràque renuente) talis obligatio non subsistat. Nam quòd, subsistente contractu sponsalitijs, non sit impedimentum, fieri non potest. Solum ergò dispensationem appellamus rescissionem & dissolutionem talis contractus, ad quem contractum dissolvendum ex legitima causa, non video, cur non habeat potestatem, etiam Episcopus. Sic ille.

227. Iudicium Auctoris.

Neque ego satis clarè video, eo semper salvo, ut requiratur major causa ad illam dissolutionem, cum privatione juris tertij acquisiti, quàm ad simpliciter dispensandum in propria lege, vel Superioris, sinè alicujus detrimento. Pono casum, quòd Matrimonium cum tertia persona sit omninò necessarium ad conservandam v. g. fidem Catholicam in aliqua Diocesi, cur Episcopus non possit priora sponsalia dissolvere, etiam utràque parte renuente?

228. An iudex secularis possit aliquo casu dissolvere sponsalia.

Imò, cur Iudex secularis id non possit, quando Matrimonium cum priori sponsa cederet in notabile damnum Reipub. & summè expediret ejus bono, ut alteri copularetur? Nam & ipse, ut constat ex usu & praxi, potest compellere sponfos ad fidem servandam, sicut compellit ad aliorum contractuum fidem non violandam, etiam si sint juramento stabiliti: ergò veluti rescindit alios contractus sic stabilitos, justà causà existente; ita etiam contractum sponsalitijs, vel assignetur disparitas.

Videtur quòd sic.

Equidem non majus aut firmius jus acquiritur per contractum sponsalitijs, quàm per contractum emptionis aut alium similem, puta solum jus ad rem. Sola differentia est, quòd contractus sponsalitijs ordinetur ad Matrimonium, quod est Sacramentum; ideoque spectet de eo cognoscere ad Judicem Ecclesiasticum, scilicet Episcopum, aut ejus Vicarium, cujus est cognoscere seu judicare de Sacramento Matrimonij: interim cum de se sit contractus civilis, utpote nec Sacramentum, nec quidpiam Sacramentale; quid ni etiam de eo cognoscere possit Iudex secularis: atque adèd vel cogere ad impletionem, vel eum justà de causà rescindere?

229.

Et herculè, nec aliud videtur posse Pontifi-

cem in hoc casu: adèd ut, si dispensaret aut dissolveret sponsalia sinè justa causa, dissolutio non valeret, estò in alijs impedimentis, lege Pontificià inductis, possit validè sinè justa causa dispensare.

Dico: Estò possit; quia quòd possit, non est certum, sed multum disputabile, ut patebit ex sequenti Conclusionè, quæ talis est:

## CONCLUSIO IV.

Pontifex illicitè dispensat sinè justa causa, fortè etiam invalidè. Iustæ causæ sunt. Bonum pacis, angustia loci, inopia personæ, &c.

**L**oquor de omni impedimento, non tantum juris naturalis aut Divini, sed etiam Pontifici. Et ratio invaliditatis est: quòd dispensando sinè causa excedat limites suæ potestatis; ergò dispensatio nulla est.

Antecedens probatur: quia Superior dispensans, etiam in lege propria, non operatur ut Dominus, sed ut dispensator fidelis, & prudens: ergò operatur per potestatem à supremo Rectore ac Legislatore, Deo scilicet, concessam; sed non minus Deus, imò multò magis, quàm humanus Princeps, præsumitur dare suam potestatem, adstrictam legibus justitiæ, & illius formam postulare, tamquam essentialè in actu talis potestatis; quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, multò certè magis, quàm ea, quæ sunt ab humano Principe; & ideo dicitur Deus non dare potestatem in destructionem, sed in ædificationem, 1. Cor. 10. Ergò illa dispensatio, quæ dissipatio est, & in destructionem, non est à potestate data à Deo; ac subinde nulla est.

Porrò quòd dispensatio sinè causa sit dissipatio, omnes admittunt cum D. Bernardo dicente lib. 3. de Consider. c. 4. in fine: *Vbi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Vbi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Quod probè scientes Patres Concilij Trid. varijs locis postulant ad dispensationem justam causam, signanter Sess. 24. de Refor. Matr. c. 5. circa finem: *In contrahendis Matrimonij vel nulla omninò detur dispensatio, vel raro, idq; ex causa, & gratis concedatur.*

Et Sess. 25. de Refor. cap. 18. generaliter ait: *Sicuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, eventibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploq; potius, quam certo personarum rerumq; delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendo aditum aperire. Quapropter scient universi, sacratissimos canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens justaq; ratio, & major quandoque utilitas postulaverit,*

Pontifex non potest sinè causa validè dissolvere sponsalia.

230. Probatur, Papam invalidè dispensare in proprijs legibus sinè justa causa.

231. Dispensatio sinè causa est dissipatio, ex D. Bernardo.

Trid. multis locis postulat justam causam.